



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. Vtrùm Ens præscindatur, & distinguatur ex natura rei ab
inferioribus, Deo videlicet, & creatura, & à differentiis eorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. Vltima, vtrum ens præscindatur. 197

constituitur substantia quasi magis completa quam perfectas; & magis complexa. Explicatur amplius exemplo sumpto ex divinis, nam divinitas quæ transcendit relationes, constituit, & personam, & ipsam relationem, relationem simplicissime per modum prædicati transcendentis, personam autem per modum naturæ completæ: unde nostro modo intelligendi magis complexæ constituitur persona per divinitatem quam personalitas, & ideo ex relatione seu personalitate constituta per divinitatem simplicissime per modum prædicati transcendentis, & ex ipsa divinitate tanquam ex natura completa constituitur tota persona completa, quæ magis complexa, & magis completa nostro modo intelligendi concipitur; sicut quoad modum significandi, quam personalitas.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversariorum solvuntur.

- 65 Ad primum primæ sententiæ respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam absolute, ad hoc enim ut detur vera contrahio non est necesse quod ratio contrahens sit non ens absolute, sed sufficit quod sit aliqua formalitas entis actu non contenta in ente ut sic v.g. perfectas.
- 66 Ad secundum respondetur concedendo maiorem, & negando minorem.
- 67 Ad primum argumentum secundæ sententiæ constat ex exemplis, respondemus confirmare nostram secundam partem conclusionis, & ideo illam eisdem exemplis comprobabimus: bicubitum enim ex parte ipsius non potest præscindi à quanto, & ex hac parte potest dici quod non addat aliquid supra quantum, sed solum maiorem expressionem (dixi potest dici, quia multi negant rationem bicubiti non addere aliquid supra ipsum quantum adhuc ex parte ipsius) quantum vero optime præscinditur à bicubito ex parte sui, quia cognoscitur in tricubito sine bicubito, & e contra, & sic ex parte sui additur in bicubito aliqua formalitas quæ actu non est in quanto ut sic.
- 68 Ad secundum argumentum respondetur negando, illo modo defendendi quæstionem, aliquem à difficultatibus se posse expedire, imo necessarium esse maioribus implicari, ut probatum manet secundæ nostræ conclusioni.
- 69 Ad tertium respondemus quod licet salvetur ex illa parte illa difficultas, salvatur tamen illa supposito modo, maiores secum difficultates compatiente, quæ omnes nostro modo facile solvantur.
- 70 Ad ultimum respondeo negando quod non occurrat difficultas aliqua, cum pateat ex nostra secundæ conclusionem quot, & quam graves difficultates emergant contra illum modum absolutum defendendi quæstionem Adversariorum.

QVÆST. VLTIMA.

Vtrum ens præscindatur, & distinguatur ex natura rei ab inferioribus, Deo videlicet, & creatura, & à differentiis eorum.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia est omnium Scotistarum assensum ens distingui, & præscindi ex natura rei formaliter à differentiis Dei, & creaturarum.

Probatum primo hæc sententia, quia impossibile est ut eadem res secundum idem conveniat cum alia, & ab ea differat realiter: sed Deus à parte rei convenit cum creatura in esse entis, & differt ab eadem per differentiam increati & divini: ergo ratio entis in Deo, & ratio divini, aut increati non sunt idem à parte rei, sed potius à parte rei differunt formaliter aut distinguuntur ex natura rei. Maior est certa, quia convenire, & differre aut mediate, aut immediate, involunt contradictionem; sed in eodem respectu eiusdem neque mediata, neque immediata contradictio potest verificari: ergo eadem res secundum idem non potest convenire cum alia, & ab ea differre realiter; minor est certa, quia de homine non potest verificari quod sit non homo, aut quod sit equus; primum propter immediatam contradictionem, secundum propter mediatam: ergo in eodem respectu eiusdem non possunt verificari illo modo duæ contradictorie sive mediate sive immediate: minor prima, & præcipua est certa, & afer ex supradictis.

Declaratur hoc amplius, in substantia respectu entis ut sic, quia si in substantia ratio substantiæ, & entis est omnino eadem: ergo quidquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, alioqui differunt essentialiter; nam quocumque addito, vel ablato mutatur essentia, si autem differunt essentialiter: ergo in re ipsa habent distinctionem aliquam; nam essentialis ratio in re ipsa consistit, si autem quidquid est de essentia substantiæ est de essentia entis, sequitur, & rationem substantiæ reperiri in accidenti cum quo convenit in ratione entis, & non reperiri, quia revera accidens non est substantia, sed dissimile substantiæ; sequitur etiam substantiam esse similem accidenti in ratione entis, & non esse similem in eadem ratione; esse similem, quia hoc supponitur, non esse similem, quia ratio entis in substantia non est eiusdem modi cum ratione entis in accidenti.

Confirmatur, quia illa quæ habent distinctas definitiones, sunt distincta ex natura rei; sed ratio entis, & ratio creati vel increati habent distinctas definitiones; nam ratio entis est quæ potest existere; ratio increati quæ est independens ab alio, ratio creati quæ dependet essentialiter: hæc autem sunt definitiones distinctæ: ergo. Maior sic patet, quia definitio conformatur cum obiecto

BB 3 seu

seu cum esse definiti: sed definitiones distinguuntur ex natura rei: ergo, & definita.

5 Secundo sic probatur, quia ea quæ separantur à parte rei distinguuntur realiter; sed ratio entis separatur à parte rei à ratione increati vel creati: ergo ratio entis distinguitur ab illis à parte rei. Maior sic patet, quia ratio entis reperitur in creatura sine increato, & in Deo sine creato: ergo ratio entis separatur tam à creato quam ab increato.

6 Tertio, quando de vno verificatur quod negatur de altero à parte rei, illa non sunt idem à parte rei: sed de ratione entis verificatur à parte rei quod sit constitutiva essentialiter creaturæ; de ratione autem increati negatur hoc ipsum: ergo ratio entis, & ratio increati distinguuntur ex natura rei. Maior est certa secundum illud axioma, impossibile est idem simul esse & non esse.

7 Confirmatur, quia idem respectu eiusdem non potest esse fundamentum relationis æqualitatis, & inæqualitatis; sed ratio entis est fundamentum æqualitatis inter creaturam, & Deum, quia creatura, & Deus in ratione entis æqualiter conveniunt, cum talis convenientia sit univoca; ratio autem creati est fundamentum inæqualitatis in creatura respectu Dei: ergo ratio entis, & ratio creati distinguuntur ex natura rei. Maior est clara, quia eadem quantitas, v. g. palmari non potest esse æqualis cum alia palmari, & simul inæqualis respectu illius, quia æqualitas, & inæqualitas dicunt negationem contradictionis, quæ non potest villo modo verificari.

SECTIO II.

Nostra Sententia probatur.

Conclusio: ens ut sic non præscinditur neque distinguitur à parte rei formaliter à differentia Dei increata, neque à differentia creata; unde in Deo ratio entis constitutiva Dei, & ratio à se seu increata, quæ ultimo constituit Deum, non distinguuntur formaliter ex natura rei.

8 Probat ratione, primo, quia in Deo inter constitutiva absoluta ipsius non solum datur identitas; sed etiam omniidentitas à parte rei; sed omniidentitas excludit omnem, & quancumque distinctionem, in ea ratione qua est omniidentitas; ergo omnis distinctio à parte rei excluditur in Deo inter absoluta constitutiva ipsius: sed ens, & increatum sunt absoluta constitutiva Dei: ergo inter illa constitutiva Dei excluditur omnis distinctio à parte rei; sed distinctio formalis ex natura rei est aliqua distinctio à parte rei: ergo excluditur à Deo inter ens, & increatum, ac proinde ens quod est in Deo, & constituit ipsum, non distinguitur ex natura rei à differentia increati.

9 Maior prima, & præcipua est evidentissima, quia quidquid est in Deo formalissime in ratione absoluti est infinitum simpliciter in omni genere perfectionis; sed quicquid est infinitum simpliciter in omni genere perfectionis, continet omnem perfectionem simpliciter in ea ratione qua tale est; ergo est omne in illa ratione qua est infinitum simpliciter: sed inter absoluta constitutiva Dei datur identitas formalissime: ergo talis identitas est infinita simpliciter, in omni genere identitatis: ergo non solum est identitas; sed etiam omniidentitas.

Confirmatur, quia omnis perfectio quæ datur in Deo absoluta, ex eo quod sub ratione independentiæ, hoc est ratione entis à se est infinita simpliciter in omni genere pertinente ad illam perfectionem; est omnis in ea ratione qua est perfectio, v. g. quia in Deo datur sapientia ratione independentiæ divinæ, non solum est sapientia, sed etiam omni-sapientia, & quia datur in Deo potentia, non solum datur quomodo eumque potentia, sed etiam omnipotentia.

Atqui identitas quæ datur inter absoluta prædicata Dei, convenit Deo formalissime ratione independentiæ ipsius, & ex eo quod sit Deus ens à se: ergo non solum est identitas, sed etiam omni-identitas à parte rei, hoc est infinita in omni genere identitatis, sicut sapientia est infinita in omni genere sapientiæ, & sic non dantur duæ sapientiæ in Deo; sed unica sapientia à parte rei, sicut non dantur duæ simplicitates absolute à parte rei, sed unica simplicitas; sicut etiam unica tantum sanctitas aut bonitas moralis, seu impeccabilitas absoluta datur, & idem est de misericordia, iustitia, &c. quæ nullo modo multiplicantur à parte rei, quia vnaquæque est infinita simpliciter simplex; quod e contra contingit in relationibus divinis, quæ multiplicantur à parte rei, quia licet sint perfectiones, nihilominus non sunt simpliciter simplices, ex eo quod vnaquæque non est melior ipsa quam non ipsa, & quam opposita ipsius.

Minor prima, & præcipua sic probatur, quia omnis, & quancumque distinctio inter absoluta à parte rei, opponitur à parte rei omni identitati; sed omniidentitas excludit, quancumque rationem sibi oppositam à parte rei: Ergo omniidentitas divina inter absoluta excludit omnem, & quancumque distinctionem à parte rei: minor sic probatur, quia in Deo nulla datur oppositio vera, & à parte rei inter absoluta prædicata, ita ut dentur in Deo formaliter duæ absolute formalitates oppositæ inter se: unde solum concedit fides Catholica oppositionem inter relativa divina, nullo autem modo patitur nostra fides asserere posse vnum prædicatum absolutum opponi alteri absoluto prædicato, v. g. quia sapientia est absolutum prædicatum divinum, non habet oppositionem in divinis, ac proinde excludit à Deo quodcumque prædicatum sibi oppositum; & sic excludit omnem, & quancumque ignorantiam, seu errorem; sicut etiam sanctitas divina excludit à Deo omnem malitiam: quia sanctitas, & malitia opponuntur; item, quia in Deo datur independentia omnimoda, & hæc opponitur dependentiæ, excludit omnem dependentiam; tandem quia in Deo datur omni-perfectio quæ opponitur omni imperfectioni, & cuicumque imperfectioni, non solum excludit à Deo imperfectionem ut sic; sed omnem, & quancumque imperfectionem, sive realiter, sive ex natura rei; sed omniidentitas opponitur omni non identitati, hoc est omni distinctioni: ergo excludit omnem distinctionem à parte rei existentem sive ex natura rei sive realiter, sicut, v. g. omnipotentia divina non solum excludit omnem impotentiam; sed etiam quancumque ex natura rei impotentiam.

Et ratio à priori videtur esse, quia absolutum prædicatum in Deo est infinita perfectio sine illo genere simpliciter, & absolute, ac proinde sine aliqua limitatione includit necessario in illo genere

tere omnem perfectionem: ergo certissimum est prædicatum illi oppositum dicere aliquam imperfectionem, quia si non diceret imperfectionem, sed perfectionem, non opponeretur cum tali prædicato, sed potius identificaretur cum illo, cum tale prædicatum non opponatur, sed potius identificetur cum omni perfectione simpliciter simplici, vel cum omni perfectione, quæ non dicit imperfectionem.

14 Quod aliter contingit in perfectionibus relativis; quæ non petunt identificare secum omnem perfectionem; etiam si sit perfectio sine imperfectione, quare Paternitas divina non identificat secum filiationem, & ratio est, quia paternitas non est perfectio simpliciter simplex, & sic potest habere in divinis una relatio alteram sibi oppositam non ratione imperfectionis, sed quia non petit identificare secum omnem perfectionem sine imperfectione, quia non est perfectio simpliciter simplex, ac proinde infinita in omni genere perfectionis, vt iam dixi.

15 Sed absoluta perfectio est perfectio simpliciter simplex: ergo identificat secum omnem perfectionem: ergo non opponitur alicui perfectioni sine imperfectione; vnde si opponitur alicui formalitati, talis formalitas opposita necessario includet imperfectionem, quia si non includeret illam sed potius esset aliqua perfectio, non opponeretur realiter illi, sed potius identificaretur à parte rei cum illa sine vlla oppositione.

16 Sed omne prædicatum quod habet imperfectionem excluditur à Deo: ergo omne oppositum prædicatum respectu alicuius prædicati absoluti existentis formaliter in Deo, excluditur ab ipso propter imperfectionem quam dicit tale oppositum prædicatum.

17 Sed omniidentitas divina opponitur omni, & cuiusque distinctioni siue reali, siue ex natura rei: ergo omnis, & quæcumque distinctio siue realis siue ex natura rei, in absoluta essentia Dei dicit imperfectionem: ergo necessario debet excludi ab omni identitate ratione suæ infinitæ perfectionis, quod manifeste patet in sanctitate divina, & simplicitate quæ excludunt à Deo omnem, & quæcumque malitiam, & compositionem siue realem, siue ex natura rei repertam, quia ex vi oppositionis quam habent cum absoluta sanctitate, & simplicitate habent imperfectionem, cuius incapax est Deus, & ratione cuius debent excludi ab ipso: sed omniidentitas opponitur omni distinctioni, & cuiusque distinctioni siue reali siue ex natura rei: ergo omniidentitas necessario excludit à Deo omnem, & quæcumque distinctionem siue realem siue ex natura rei.

18 Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia omne id quod est universale siue formaliter siue eminentissimo modo, in vno genere non solum opponitur universali opposito affecto signo universalitatis; sed etiam cuiusque contento sub tali opposito universali, v.g. omnis homo non solum opponitur nulli homini, sed etiam alicui non homini, & cuiusque non homini, & hoc ita vt ex vi veritatis illius excludatur omnis veritas oppositi; quare quia hoc est verum, omnis homo est animal rationale, absolute excluditur veritas ab his oppositis, nullus homo est animal rationale; aliquis homo non est animal rationale; quicunque homo non

est animal rationale, & hoc quia vnum oppositum universale non solum destruit aliud universale oppositum, sed etiam omne contentum sub illo.

Item omnipotentia Dei quæ non est formaliter universalis, sed eminentissimo modo ex eo quod est infinite perfecta simpliciter, in omni genere, ratione cuius signo illo universali omni afficitur, non solum opponitur omni impotentia, sed etiam alicui impotentia, & cuiusque impotentia siue reali siue ex natura rei, &c. Item omnisimplicitas Dei à parte rei, quia excellentissimo, & eminentissimo modo habet universalitatem, non solum opponitur omni compositioni, sed etiam alicui compositioni, & cuiusque compositioni siue reali siue ex natura rei, & ratione talis oppositionis excludit omnisimplicitas Dei omnem, & quæcumque compositionem, siue realem, siue ex natura rei; universalitas autem illa eminentissima quam perfectiones divinæ habent ideo his provenit, quia sunt à se independentes, & increatæ absolutæ.

Sed identitas divina & absoluta perfectio Dei est infinita simpliciter, & est à se independentes, & increata: ergo est universalis eminentissimo modo; eo modo quo omnipotentia, omnisapientia, omnisimplicitas, &c. ac proinde necessario est omniidentitas: ergo opponitur non solum omni distinctioni inter absoluta cuiusque distinctione, & alicui distinctioni siue reali siue ex natura rei, ac proinde necessario excludit omnem, & quæcumque distinctionem siue realem siue ex natura rei inter absoluta prædicata Dei.

Patet hoc evidenter, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed tota ratio formalis propter quam omnisapientia Dei excludit omnem, & quæcumque ignorantiam, seu errorem à Deo, siue talis ignorantia sit realis siue ex natura rei est, quia omnisapientia est absolutum prædicatum universale eminentissimo modo, & infinite perfectum, ratione cuius debet expellere à Deo omne oppositum sibi: sed omniidentitas inter absoluta prædicata est perfectio simpliciter simplex infinita, & ratione talis infinitatis est universalis eminentissimo modo, ac proinde est perfectio absoluta: ergo debet necessario habere rationem formalem propter quam ita supponat omni distinctioni, & cuiusque distinctioni siue reali siue ex natura rei, vt illam omnino excludat à Deo inter absoluta prædicata.

Urgetur, quia Deus ex vi suæ infinitæ fecunditatis petit distinctionem realem inter relationes divinas, ita petit illam vt inter tales relationes nulla detur identitas, siue realis siue ex natura rei: vnde inter tales relationes reperitur omni distinctio quæ excludit omnem, & quæcumque identitatem: sed ipse Deus qui petit distinctionem inter relationes divinas excludentem omnem identitatem inter illas, siue realem siue ex natura rei, petit omniidentitatem inter absoluta: ergo talis identitas est illa vt excludat omnem, & quæcumque siue realem siue ex natura rei distinctionem inter absoluta prædicata divina, sicut distinctio illa inter relationes excludit omnem, & quæcumque identitatem inter easdem relationes; quia eadem ratio datur in distinctione relationum ac in identitate absolutorum prædicatorum.

Declaratur

23 Declaratur amplius, quia omnis contradictio seu oppositio contradictoria debet excludi à Deo, quia in nullo subiecto possunt verificari duæ contradictoriae simul verae.

24 Sed si in Deo supposita omni identitate divina inter absoluta simul daretur distinctio ex natura rei inter eadem absoluta daretur contradictio, & verificarentur duæ contradictoriae simul verae: ergo nullo modo potest dari in Deo distinctio ex natura rei inter absoluta supposita omni identitate inter eadem.

Maiores est certissima, quia impossibile est idem simul esse, & non esse.

25 Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, tunc dantur duæ contradictoriae simul verae quando datur affirmatio universalis alicuius praedicati, & negatio eiusdem praedicati simul verae; sed supposita omni identitate esset vera haec propositio, in Deo datur omniidentitas inter absoluta, & supposita distinctione ex natura rei quam vos ponitis, verificaretur haec propositio in Deo, daretur simul aliqua non identitas inter absoluta: ergo iam verificarentur duæ contradictoriae simul verae. Patet consequentia, quia omniidentitas inter absoluta, & aliqua non identitas inter eadem sunt affirmatio, & negatio; sed supposita vestra sententia de Deo verificatur omniidentitas, & aliqua non identitas, &c. ergo verificantur simul de eodem Deo affirmatio, & negatio eiusdem identitatis, ac proinde affirmantur duæ contradictoriae simul verae.

26 Quod autem verificetur de Deo aliqua non identitas, patet manifeste, quia aliqua distinctio est aliqua non identitas, quia aliqua distinctio est subdistinctione ut sic opposita identitati ut sic: sed distinctio ut sic est non identitas essentialiter: ergo aliqua distinctio est aliqua non identitas, quia quicquid convenit superiori convenit omni contento sub illo secundum illud principium, dici de omni, v. g. quia brutum ut sic opponitur homini ut sic, est verum dicere brutum non est homo, & quia tale brutum est aliquid brutum contentum sub bruto ut sic, est verum dicere tale brutum, quia est aliquid brutum est aliquid non homo; sed distinctio ut sic, quatenus opponitur identitati ut sic est non identitas, & talis distinctio continetur sub distinctione ut sic: ergo sicut est aliqua distinctio, ita est aliqua non identitas.

27 Sed in Deo per vos datur aliqua distinctio à parte rei, videlicet distinctio formalis ex natura rei; ergo necessario datur in Deo aliqua non identitas à parte rei inter absoluta praedicata; sed ex alio capite datur in Deo omniidentitas à parte rei inter absoluta praedicata: ergo inter eadem absoluta, & in eodem Deo datur omniidentitas à parte rei, & aliqua non identitas à parte rei quæ est aliqua distinctio à parte rei opposita identitati: ergo à parte rei datur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem cum veritate utriusque, & sic dabuntur duæ contradictoriae simul verae; sed hoc est falsum: ergo si datur omniidentitas in Deo, nulla debet dari distinctio inter absoluta praedicata Dei à parte rei, quia unum praedicatum absolutum nihil sibi oppositum patitur in divinis, praecipue si sit oppositum contradictorium.

28 Vergetur, ideo enim non possunt verificari de Deo hæc propositiones, in Deo datur omnis perfectio sine imperfectione, in Deo non datur aliqua perfectio sine imperfectione, quia illæ pro-

positiones sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, ac proinde duæ contradictoriae, quæ neque de Deo, neque de vlla creatura possunt verificari: sed hæc propositiones sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; in Deo datur omniidentitas à parte rei inter absoluta praedicata; in Deo non datur aliqua identitas à parte rei inter eadem absoluta praedicata: ergo non possunt verificari de Deo simul; sed supposita vestra sententia verificantur à parte rei: ergo falsa est vestra opinio. Minor illa quoad omnem identitatem, patet ex supradictis, ubi demonstravimus sicut in Deo datur omni sapientia, omni bonitas, omni simplicitas, &c. propter independentiam & infinitatem illarum perfectionum, ita similiter propter eandem infinitatem, independentiam, & illimitationem dari in Deo omniidentitatem à parte rei.

Quoad secundam partem sic probatur, quia distinctio non compatitur cum identitate in e ratione, quia distinctio est, quia una dicit negationem alterius: unde si in Deo daretur distinctio realis inter absoluta, nullo modo daretur identitas realis inter ipsa, ut videre est in relationibus divinis propter oppositionem contradictoriam quam dicunt inter se: sed per vos à parte rei datur aliqua distinctio, videlicet ex natura rei: ergo ex natura rei inter absoluta non datur identitas: ergo in Deo non datur aliqua identitas à parte rei: ergo est verum dicere in Deo datur omniidentitas à parte rei, in Deo non datur aliqua identitas à parte rei, scilicet identitas ex natura rei.

Dices, non implicare contradictionem inter omniidentitatem, & aliquam non identitatem, quia omniidentitas non est universalis formaliter, sed solum eminentissimo modo, ad hoc autem ut detur contradictio debere esse inter propositiones universalem, & particularem formales.

Sed contra primo, quia contradictio eodem modo existit inter propositiones, quarum obiecta sunt universalis, & particularis formaliter; ac inter propositiones, quarum obiecta sunt universale eminentissimo modo, & particulare: sed in his propositionibus, in Deo datur omnis identitas à parte rei, in Deo non datur aliqua identitas à parte rei, obiectum unius est universale eminentissimo modo, affirmatum, & obiectum alterius est particulare negatum: ergo sunt affirmatio, & negatio contradictoriae; maior sit demonstratur, v. g. in his propositionibus, in Deo datur omni sapientia sine imperfectione, in Deo non datur aliqua sapientia sine imperfectione, ecce propositiones contradictoriae quæ non possunt verificari simul de Deo propter veram, & propriam contradictionem quam involvunt in se non minus, ac hæc omnis homo est animal, aliquis homo non est animal; sed illæ propositiones ita se habent, ut primæ obiectum non sit universaliter formaliter, sed universale eminentissimo modo, & secundæ obiectum est particulare: ergo falsum est dicere contradictorias propositiones necessario petere ut obiectum unius sit universale formaliter, & obiectum alterius particulare, cum sufficiat esse obiectum primæ universale eminentissimo modo, & obiectum secundæ particulare.

Sed in his propositionibus, quarum una est affirmativa, & altera negativa obiectum primæ est universale

Quæst. Vltima, vtrum ens præscindatur. 201

vniversale eminentissimo modo, & secunda est obiectum particulare: ergo sunt proportionales propriæ contradictoriæ, ac proinde falsa erit solutio Adversariorum.

Secundo contra, quia vniversale eminentissimo modo æquivaleret vniversali formaliter ablati imperfectionibus; unde sicut vniversale formaliter comprehendit sub se omnia singularia, & particularia cum imperfectione pluralitatis, ita similiter sine tali imperfectione: Imo cum summa perfectione vniversale eminentissimum comprehendit, & continet in se omnia particularia, respectu quorum dicitur vniversale: atqui vniversale formale ratione talis comprehensionis potest esse obiectum propositionis contradictoriæ, & immediate contradicentis propositioni obiecti particularis contenti sub ipso, si illa sit affirmativa, & hæc negativa, vt patet ex dictis: ergo similiter vniversale eminentissimum potest esse obiectum propositionis contradictoriæ, seu contradicentis alteri propositioni habenti pro obiecto particulare comprehensum sub tali vniversali, dum tamen prima propositio sit affirmativa, & secunda sit negativa, quia vbi datur eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis. Unde sicut hæc propositio vniversalis formaliter, omnis homo est animal, destruit, & excludit omnem veritatem ab hac propositione, aliquis homo non est animal, quia illa vniversaliter opponitur isti per affirmationem, & negationem, ita similiter in Deo datur omni-identitas, destruit omnem veritatem ab hac propositione, & in ipsa in Deo inter absoluta non datur aliqua identitas, &c. quia prima sicut opponitur omni distinctioni ita opponitur cuicumque distinctioni contradictoriæ ratione affirmationis, & negationis; ac proinde si verificatur in Deo, vt vere, & propriè verificatur omni-identitas, non poterit verificari aliqua distinctio, quia verificabitur hæc propositio in Deo non datur aliqua identitas in ea ratione qua datur aliqua distinctio, videlicet ex natura rei, & sic erit verum dicere in Deo non datur omni-identitas, quia idem est non omnis ac aliqua non; sed per vos non datur aliqua identitas, scilicet ex natura rei, quia datur distinctio ex natura rei inter absoluta: ergo æquipollens illi verificatur, scilicet in Deo non datur omni-identitas: sed ex alio capite verificatur, in Deo datur omni-identitas, sicut omni-sapientia: ergo in Deo verificabuntur simul hæc duæ contradictoriæ, in Deo datur omni-identitas, in Deo non datur omni-identitas à parte rei.

SUBSECTIO I.

Aliquæ solutiones Adversariorum diluuntur.

Respondent Adversarij omni-identitatem divinam non opponi in Deo distinctioni ex natura rei: sed solum distinctioni reali inter absoluta, & ideo non excludere à Deo distinctionem ex natura rei, excluderet autem inquit si omni-identitas divina opponeretur distinctioni ex natura rei, quia in divinis simul non reperiuntur inter absoluta duo opposita, eo modo quo reperiuntur inter relativa duo supposita inter se opposita, v.g. Pater, & Filius.

Sed contra, quia omnis identitas in Deo opponitur. R. P. Ildeph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

nitur adæquate omni distinctioni eo modo, quod adæquate opponitur omnis sapientia omni ignorantia, omni errori, & omni inscientia, & omnis potentia adæquate opponitur omni impotentia, & omnis simplicitas adæquate opponitur omni compositioni: ergo inadæquate opponitur omnis identitas alicui distinctioni; quia quando vnun vniversale opponitur alteri adæquate, opponitur etiam inadæquate alicui inferiori contento sub vniversali sibi adæquate opposito, v.g. quia omnis simplicitas opponitur omni compositioni adæquate, inadæquate opponitur alicui compositioni, quæ continetur sub omni compositione, & idem est de omni sapientia respectu alicuius ignorantia, sed omnis identitas est vniversalis, vt diximus, & opponitur omni distinctioni, quæ vniversalis est: ergo inadæquate opponitur alicui distinctioni contentæ sub omni distinctione; atqui distinctio ex natura rei est aliqua distinctio contenta sub omni distinctione à parte rei: ergo omnis identitas divina opponitur inadæquate, verè, & propriè distinctioni ex natura rei; sicut opponitur omnis sapientia ignorantia ex natura rei; & omnis simplicitas compositioni à parte rei ex natura rei. Ratio à priori est infinitas divinæ identitatis; illimitatio, & independentia illius; sed per vos vnun prædicatum absolutum excludit quodcumque sibi oppositum propter infinitatem, & perfectionem vnus, & propter imperfectionem sui oppositi; inter absoluta enim, si detur oppositio in divinis, talis oppositio est propter imperfectionem alterius oppositi: ergo si identitas divina opponitur distinctioni ex natura rei, sine dubio excludet illam à Deo inter absoluta prædicata ipsius; sicut simplicitas divina excludit compositionem ex natura rei, quia opponitur illi.

Confirmatur, quia nihil maius essentiale potest reperiri, nec cogitari, quam essentia Dei, & nihil attributale maius attributis Dei, vt constat ex communi consensu Patrum Ecclesiæ; Deus enim, vt ait Augustinus, maior est in omni ratione, quam possit intellectus attingere; quod etiam confirmat Divus Dionysius de divinis nominibus, cap. i. fere initio de Dei natura agens: Ignoratio inquit, summæ eius essentia, ac natura, quæ omnem orationem, sensum, essentiamque vincit, scientiam ei tribuere debemus. Sancti Nazianz. orat. 49. post medium: Certe, (inquit) hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari, cum definitur, ipsa definitione crescit, quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt; Origen. lib. i. Periar. cap. i. quid, (inquit) in omnibus intellectualibus tam præstans omnibus, tam inæstimabiliter, atque ineffabiliter præcellens est quam Deus? Sancti Chrysostom. in id psalm. 47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis; magnus, (inquit) dicunt; sed quam magnus non dicunt, hoc enim nemo scit; Et ideo subiunxit, & laudabilis valde, non enim est finis eius magnitudinis; quod autem dicit, est eiusmodi: oportet eum tanta gloria afficere, & laudare id, quod supra omnem modum, &c. Theodorus Episcopus Ancyrae tomo 6. Concilij Ephesini, cap. 10. Divina (inquit) natura humane mentis captum effugit; sublimior est quam quæ nostro sensu attingi queat. Sanctus August. lib. 5. de Trinitate, cap. 1. Intellegamus, (inquit) Deum, si possumus quantum possumus; Et cum præclara de eius excellentia C c dixisset.

dixisset, subdit: Quisquis Deum ita cogitat, & si non dum potest omnino invenire quid sit, pie tamen cavet, quantum potest aliquid de eo sentire quod non sit. Sanctus Anselmus *De Incarnatione Verbi. cap. 4. col. 3.* probat esse unum tantum Deum, quia est summum bonum, hoc enim est quod sic præstat alijs vt nec par habeat, nec præstantius. *Et in Prologo cap. 15.* ergo (inquit) Domine, es quiddam maius, quam cogitari possit. Et sanctus Bernardus *lib. 5. de consideratione ad Eugenium*: Quid est (inquit) Deus? quo nihil melius, nihil maius excogitari potest. Et Arist. *lib. 9. Ethic. cap. 4.* ait: Deum habere summum bonum omni intellecto esse maius. Tandem Cicer. *lib. 1. de natura Deorum*. Ea est (inquit) Dei vita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest. Et Seneca in *praefatione librorum questionum naturalium*: Quid est, (inquit) Deus? mens univerti. Quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides totum: sic deum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest. Ecce authores hi ita constituunt Deum vt sit summum, & maximum in sua natura, & perfectionibus, ita vt sicut nulla potest natura excogitari maior quam natura Dei, ita nulla perfectio divina potest excogitari maior altera, quæ non sit in Deo. Ratio evidens à priori est, quia cum Deus in quacumque ratione sit infinitus, & intellectus creatus sit finitus in quacumque ratione, excedit Deus intellectum creatum; vnde nihil potest intellectus ultra Deum maius Deo concipere; imo quando concipit Deum, si recte concipiat, iudicat Deum ita esse summum vt sit quid maius omnibus excogitabilibus, ac proinde nihil posse excogitari, quod non sit minus Deo in quacumque perfectione; ergo intellectus concipit Deum in eodem statu perfectionis, vt tam in natura, quam in attributis sit summe perfectus.

36 Tunc sic: quando aliquid est summum in aliquo genere, nullo modo potest habere admixtam aliquam rationem oppositam in illo genere, v. g. quando datur calor summus, nihil potest dari frigiditatis, quia summitas caloris vt in summitate conservetur, & simpliciter summus appellatur, non debet habere admixtam frigiditatem sibi oppositam, neque in summo, neque in remisso gradu, & ideo in igne non datur minima etiam pars frigiditatis, quia in igne datur summus calor, qui vere non esset talis, si haberet admixtam aliquam partem frigiditatis. Item, quia Beata Virgo est summe sancta nullum habet admixtum secum, etiam minimum peccatum, aut minimam culpam etiam levissimam, quod aliter contingeret si haberet aliquod peccatum veniale, & ratio est quia summum in vnoquoque genere est perfectissimum; sed vt ait Dionysius, bonum, & perfectissimum debet esse tale ex integra causa, malum autem seu imperfectum ex quocumque defectu; vnde si Angelus haberet aliquam corruptibilitatem naturalem, etiam si non haberet omnem, non posset vocari summe incorruptibilis naturaliter; quapropter, quia Angelus habet compositionem etiam minimam ex substantia, & natura, quæ inter substantiales minima est, non potest vocari summe simplex, quia si summe simplex esset, simpliciter & absolute omnem excluderet compositionem oppositam simplicitati, itaque quia hoc est certissimum in natura, quotiescumque naturaliter datur summitas in aliquo

genere excluditur opposita ratio in illo genere.

Sed Deus est summè idem in absolutis vt his 37 verbis docet Ricard. de sancto Victore *lib. 12. cap. 17.* vbi summa simplicitas ibi vera, & summa unitas, summaque identitas; quidquid ergo in summo bono est vere, & summe, unum est neque aliud, & aliud ibi esse potest; sed idem ipsum est totum quod est eodem modo, loquitur Concil. Trident. *sessio 18. post medium*, vbi docet Deum habere summam identitatem in essentia, & attributis, & in relationibus respectu essentiae, & confirmat Concilium Lateranense *can. 4.* quod antea dixerat Dionysius, asserens Deum esse in summis, & pulcherrimis identitatis perfectionibus collocatum, cuius vestigijs insistent Bernard. *lib. 5. de consid. ad Eugenium*, inquit esse vnice unum, & simplicissimam unitatem, imo, & meram simplicitatem, & identitatem, & ratio manifesta demonstrat tum à paritate rationis, quia quodcumque attributum divinum absolutum est summum in ea ratione qua tale est, & ideo sapientia divina est summa sapientia, & bonitas summa bonitas, & potentia summa potentia; nam sicut natura, & essentia divina est summa in ratione naturæ, & essentiae, ita similiter quodcumque attributum illius debet esse summum simpliciter, & absolute; cum autem identitas inter absoluta sit perfectio, attributum divinum debet esse in ratione identitatis summa omni modo positive, quia habet omnem gradum identitatis negative, quia excludit omnem rationem sibi oppositam, vt videre est in simplicitate divina, quæ quia talis est, est summa tam positive quam negative, igitur Deus in absolutis summe omni modo idem est.

Ergo excludit inter absoluta quaecumque 38 rationem etiam minimam oppositam, sed quaecumque distinctio etiam minima, siue modalis, siue ex natura rei adæquate vel inadæquate opponitur summe identitati Dei; ergo talis identitas excludit omnem, & quancumque distinctionem siue realem, siue ex natura rei inter absoluta: ergo nulla datur ex natura rei distinctio in Deo. Minor illa sic demonstratur, quia quidquid est subdistinctione vt sic, participat rationem oppositionis siue maximam, siue minimam, siue adæquatam, siue inadæquatam respectu identitatis vt sic, quia quidquid convenit superiori convenit omni contento sub illo; sed distinctio vt sic opponitur identitati vt sic eo modo quo rationale vt sic opponitur irrationali vt sic, & eo modo quo albedo vt sic nigredini vt sic, & simplicitas vt sic compositioni vt sic: ergo distinctio ex natura rei quæ est inferior, & participat rationem distinctionis vt sic, respectu cuius est inferior, participabit rationem oppositionis respectu identitatis vt sic, & respectu omnium quæ sub identitate vt sic comprehenduntur cum hoc tamen discrimine vt respectu identitatis ex natura rei non possit compari in eadem entitate, quia est perfecta, & adæquata opposito, cum alijs autem identitatibus possit compari in subiectis imperfectam identitatem habentibus, & non summam identitatem, quia minima oppositione opponitur illis, v. g. calor vt duo potest compari cum frigiditate vt tria, quia frigidum vt tria est imperfectum in ratione frigiditatis, & nihilominus aliquam imperfectam, & minimam oppositionem habet calor vt duo cum frigiditate

Quæst. Vltima, vtrum ens præscindatur. 203

te vt tria, quia sunt sub membris oppositis vt sic, participando quicquid convenit realiter illis, quando autem vt supra dixi summa frigiditas datur, nihil datur caloris, quia summum ratione suæ excellentiæ & perfectionis maxime opponitur non solum cum summe opposito, sed etiam cum minimo existente sub ratione oppositi vt sic itaque quantum ad expellendum ab eodem subiecto quodcumque etiam minimum contentum sub opposito vt sic exerceat propriam, & perfectissimam rationem oppositionis, vt videre est in summa sanctitate Dei, quæ non solum opponitur peccato aut culpæ vt sic, sed etiam cuiusque etiam minime culpæ existenti sub peccato, & culpa vt sic ratione cuius expellit à Deo omnem, & quamcumque minimam culpam: sed identitas divina est summa in ratione identitatis inter absoluta: ergo non solum opponitur summe distinctioni, sed etiam cuiusque etiam minime distinctioni existenti sub distinctione vt sic à parte rei, sed distinctio ex natura rei est vera, & propria distinctio formalis à parte rei: ergo tali distinctioni opponitur vere, & proprie summa identitas quæ datur in Deo inter absoluta, quæ oppositio sufficit vt expellat illam à Deo inter absoluta.

39 Confirmatur hoc, hæc summa identitas ita est vt alia maior illa excogitari non possit vt patet ex supradictis; sed sic est quod si Deus haberet distinctionem ex natura rei inter absoluta, imo plures distinctiones ex natura rei vt vos asseritis, posset alia maior identitas excogitari intra rationem identitatis Dei inter absoluta: ergo nullo modo potest dari in Deo distinctio ex natura rei inter absoluta: minor sic demonstratur, quia illa est maior identitas, quæ habet minus distinctionis, quam ea quæ habet aliquam distinctionem, sicut illa est maior sapientia quæ minus ignorantia habet, quam ea quæ habet aliquid ignorantia, sed potest excogitari in Deo identitas inter absoluta sine vlla distinctione, sive reali, sive ex natura rei vt à Divo Thom. & omnibus eius discipulis intelligitur: ergo iam potest excogitari supposita vestra sententia, maior aliqua identitas identitate divina, si quidem potest excogitari identitas, quæ nihil distinctionis habeat inter absoluta.

40 Exemplo demonstratur, ideo quando concipimus Angelum, concipimus maiorem identitatem, ac est illa quam concipimus in homine, quia in homine concipimus identitatem admixtam pluribus distinctionibus, siquidem concipimus in homine distinctionem integram, distinctionem inter materiam, & formam, & distinctionem inter essentiam, & subsistentiam; in Angelo autem concipimus identitatem substantialem sine distinctionibus illis physicis, & solum cum distinctione ex subsistentia, & natura, & inter illas, ac proinde cum minori distinctione; item quando concipimus identitatem Dei concipimus maiorem identitatem Angeli identitatem, quia identitatem Dei concipimus non solum cum minori distinctione, sed etiam sine vlla, & identitatem Angeli concipimus cum pluribus distinctionibus: ergo si identitas Dei per vos, & quam vos ponitis, habet distinctionem ex natura rei, ac proinde aliquam distinctionem à parte rei, & quam nos ponimus, nullam habet etiam minimam distinctionem formalem seu ex natura rei: ergo maior identitas est quam nos ponimus in Deo ea quam vos ponitis in ipso: ergo alia excogitari potest maior ea identitate quæ per vos reperitur in Deo.

gitari potest maior ea identitate quæ per vos reperitur in Deo.

Sed non potest alia maior excogitari ea quam nos ponimus inter absoluta prædicata divina: ergo evidenter sequitur identitatem divinam non esse eo modo quo vos asseritis: sed potius eo modo quo nos cogitamus.

Igitur absolute dicendum est nullo modo dari in Deo distinctionem ex natura rei, neque vlla alia opposita identitati vt sic, sive adæquate, sive inadæquate, sive quomodocumque etiam minime opponatur.

Explicatur exemplo, si aliquis hæreticus diceret in Deo non dari compositionem realem, sed solum compositionem ex natura rei formaliter, evidenter convinceretur hoc modo: simplicitas divina, quia summa est in ratione simplicitatis, talis est conditionis, vt neque alia sit simplicitas neque excogitari possit maior tali divina simplicitate: Sed si in Deo detur compositio ex natura rei, etiam si non detur compositio realis potest esse maior, & excogitari maior simplicitas simplicitate divina, nam si daretur alia, quæ neque distinctionem haberet ex natura rei, neque compositionem ex natura rei, & sic cogitaretur sine vlla compositione, maior cogitaretur, & maior esset simplicitas, quam ab hæretico cogitaretur, quia illa est maior simplicitas quæ minus habet compositionis: ergo illa simplicitas quæ excogitatur ab hæretico non est divina, vere, & realiter sed ficta, & illa erit vera, quæ à catholicis concipitur, & tota ratio est, quia est maior quæ concipitur à catholicis quam quæ concipitur à tali hæretico: sed à nobis concipitur maior identitas in Deo, quam ab Scotistis ex eo quod illi ponunt identitatem admixtam alicui distinctioni, & nos ponimus identitatem inter absoluta prædicata non solum cum minori distinctione, sed potius sine vlla à parte rei: ergo nostra est ponenda in Deo, & non quæ excogitatur ab Scotistis; nam Deus vt ponitur ab Scotistis non est summe idem, neque omnidem, nec maior omni alio qui excogitari potest, ac proinde non est infinite perfectus.

Dices Deum non esse capacem illius identitatis provt excludit omnem distinctionem etiam ex natura rei, ratione cuius incapacitatis etiam si non habeat omnimodam identitatem, vt à nobis ponitur esse summum Deum in ratione idem, & summe perfectum, quapropter maxima esset confusio inquit Scotistæ, si Deus nullam haberet distinctionem, ne igitur confusio detur inter attributa divina, dicendum est identitatem divinam non expellere distinctionem ex natura rei.

Sed contra primo, quia ratio entis vt sic quæ formalissime datur in Deo, & quæ per vos distinguitur ex natura rei à differentia increati, ita est eadem vt in se ipsa nullam habeat distinctionem etiam ex natura rei, quia ratio illa entis provt distinguitur à quacumque differentia contrahente illam, est omnino irresolubilis in duos conceptus, quia est simplicissima vt ipsi Scotistæ docent; nam licet rationem entis, & alias rationes inferiores distinguant ex natura rei inter se, & ab ipso ente, nihilominus in ipsa vltima ratione entis nullam ponunt distinctionem ex natura rei: ergo iam datur aliqua perfectio in Deo quæ in se ipsa nullam habet distinctionem ex natura rei. Præterea modus metaphysicus, seu vt melius loquar, differentia, seu formalitas increata contrahens

C c 2 hens

hens rationem entis in Deo, quia est ultima ratio distinguendi Deum à creaturis est simplicissima, & summe ac omnino eadem in seipsa, sine ulla distinctione, ex natura rei in sententia Scoti; rationem tribuit Scotus, quia differentia ultima ex eo quod talis sit, est irreducibilis in plures formalitates, ne detur processus in infinitum inter distinctiones ex natura rei, & etiam quia talis differentia non esset ultima, siquidem daretur in illa ratio superior, & inferior, &c. atqui talis differentia increata formaliter est in Deo essentialiter constituens Deum in esse entis increati, & infiniti.

6 Ultimo in Deo datur actus liber voluntatis, quo decrevit creare mundum, &c. & actus necessarius quo se amat naturaliter Deus, & quo Pater, & Filius produunt Spiritum sanctum, & hi actus sunt perfectiones divinae, & nihilominus non distinguuntur ex natura rei in sententia Scoti, & Scotistarum in quo Scotus, & Scotistae opponuntur Cajerano, asserenti actum liberum addere supra necessarium formalitatem distinctam ex natura rei, ab actu necessario: sed Deus per vos nullam habet imperfectionem aut confusionem inter actum liberum, & necessarium in ratione increati, seu indifferentia ultima, & in ratione entis, ex eo quod habeat omnimodam identitatem formalem à parte rei excludentem omnem, & quancumque distinctionem etiam ex natura rei inter illas perfectiones, & formalitates, & in ipsis, & in essentia illarum.

47 Ergo similiter nullam habebit confusionem aut imperfectionem, sed potius summam, & infinitam perfectionem, ex eo quod inter absoluta prædicata ita habeat omniidentitatem, ut ratione illius excludat omnem distinctionem, & quancumque sive minimam sive realem, sive ex natura rei.

48 Secundo contra, quia impossibile est ut aliquod subiectum sit incapax alicuius prædicati, & formalitatis quam de facto habet, quia ab actu ad potentiam evidens est consequentia, sed Deus de facto habet inter actum liberum, & necessarium ita summam identitatem ut excludat ab illis omnem distinctionem sive realem, sive ex natura rei; item in voluntate divina non distinguitur ex natura rei formalitas amandi, & odio habendi, & nihilominus tales perfectiones reperiuntur in Deo, imo ratio principij quæ datur in Patre, & quæ datur in Filio respectu Spiritus sancti non distinguuntur ex natura rei, quia est una ratio formalissima principij.

49 Item in ipso intellectu divino ratio cognoscendi, seu scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis; hoc est scientia libera, & necessaria non distinguuntur ex natura rei, ac proinde datur omnimoda identitas inter tales formalitates, & idem est de formalitate entis in se ipsa, & informalitate increati considerata respectu sui ipsius, in quibus datur omnimoda identitas de facto sine ulla distinctione.

50 Ergo falsum est dicere Deum esse incapacem omniidentitatis seu summæ identitatis, ut à nobis ponitur, excludentis omnem, & quancumque distinctionem etiam formalem ex natura rei, imo absolute dicendum est Deum esse omnino capacem ita summæ identitatis, ut excludat omnem distinctionem, & quia secundum Concilium Nicensum, & Sancti Ecclesiæ Doctores in Deo idem est esse ac posse Deus, quia capax est talis identi-

tatis, de facto habet illam in omnibus formalitatibus absolutis, quia si semel habet hanc identitatem inter aliquas perfectiones, signum evidens est habere illam non esse aut imperfectionem aut confusionem; sed ex alio capite habere identitatem summam, ut excludat omnem distinctionem, est tanta perfectio ut alia maior ea excogitari non posset, & indicat in Deo infinitam perfectionem; imo, & opposito modo habere identitatem dicit imperfectionem, & limitationem ut patet ex dictis: ergo tam excellens identitas concedenda est in Deo inter absoluta excludens omnem, & quancumque distinctionem.

Tertio contra, quia ex eo quod aliquod subiectum non sit capax alicuius maioris perfectionis non debet dici summus, & infinite perfectus in ea ratione, v.g. ex eo quod Angelus non sit capax ex natura sua tantæ simplicitatis, ut excludat omnem compositionem sive ex natura rei, sive modalem non debet dici summe, & infinite simplex; item ex eo quod homo sit incapax completæ spiritualitatis aut sapientiæ infinitæ, ex eo quod habeat aliquam spiritualitatem, & aliquam sapientiam non potest dici summe sapiens, & summe spiritualis, & ratio à priori est, quia summa, & infinita ratio non est illa quæ cum sit aliqua, est incapax maioris, alias si Deus esset incapax infinite scientiæ, dum tamen haberet aliquam posset dici summe, & infinite sapiens, quod est falsum, quia ex hoc principio colligeretur quancumque creaturam esse summam in quocumque prædicato essentiali, ex eo quod sit incapax alterius maioris, & sic Angelus esset summe, & infinite intellectivus, summe, & infinite volitivus, summe, & infinite sanctus, quæ omnia sunt summa absurdum.

Ad rationem igitur summitatis duo requiruntur quando summitas est omnimodo perfecta, primum ut in ea ratione habeat, & sit capax omnis perfectionis sine imperfectione quæ datur in illo genere.

Secundo ut ita sit pura talis perfectio ab opposita ratione, ut nihil habeat admixtum alterius sibi oppositæ, quod manifeste patet in summa perfectione divina, quæ ideo talis est ut contineat omnem, & quancumque perfectionem sine imperfectione, & excludat omnem, & quancumque imperfectionem, & idem est de sapientia divina, iustitia, &c. quare si Deus, aut non haberet, aut non esset capax omnis perfectionis, & ideo necessario requireret aliquam imperfectionem oppositam omni perfectioni, nullo modo diceretur summe perfectus, summe sapiens, summe idem, imo propter illas rationes absolute dicendus esset incapax summæ perfectionis, potius quam summe perfectus, & summe sapiens.

Ergo si per vos inter absoluta, Deus non debet omnem gradum identitatis realem, & ex natura rei excludendo omnem distinctionem ex natura rei, sed potius est incapax omnimodæ identitatis continentis omnem identitatem, ratione cuius habet distinctionem ex natura rei, potius dicendus est incapax summæ, & infinitæ identitatis, quam summe idem habens summam, & omniidentitatem, ac proinde appellandus est Deus limitatus, & imperfectus in ratione identitatis, sicut si in Deo non daretur omnes gradus sanctitatis ratione propriæ incapacitatis, ac proinde concederetur, aliquem gradum culpæ vel peccati, non diceretur ratione talis incapacitatis summe,

Quaest. Vltima, vtrum ens praescindatur. 205

summe, & infinite sanctus sed potius diceretur limitate, & imperfecte sanctus.

55 Vltimo contra, quia tunc datur confusio quando datur multitudo, & pluralitas sine ordinat- qui attributa divina non sunt plura neque multa à parte rei sine ordine: sed potius ratione identitatis summae sunt vna simplicissima perfectio: ergo nullo nullo modo ratione talis identitatis potest dari confusio in Deo vt videre est in actu libero, & necessario Dei, in quibus ratione identitatis excludentis omnem distinctionem etiam ex natura rei nulla datur confusio, quia nulla datur pluralitas sine ordine, itaque ad confusio- nem duo requiruntur, & inordinatio, & plurali- tas; vnde confusio opponitur pluralitati ordi- natae, minime autem opponitur simpliciter aut omniidentitati; sed potius Deus ex eo quod sit omnino idem sine vlla pluralitate est incapax tum confusio- nis, tum ordinationis oppositae confusio- ni, sicut quia Deus est spiritualis, & immu- tabilis est incapax tenebrarum, & incapax lucis oppositae tenebris; vnde male argueretur dicendo Deus non habet lucem corpoream: ergo habet tenebras sibi oppositas; nam deberet probare qui sic argueret, Deum esse capacem lucis, & carere illa quia tenebrosus est id quod est capax lucis, & non habet illam.

56 Sic similiter male argueretur qui diceret, Deus est summe idem in absolutis, ita vt excludat om- nem distinctionem sive realem sive ex natura rei: ergo habet confusio- nem, mala enim est haec argu- mentatio, quia deberet probare potius habere Deum pluralitatem, & distinctionem inter abso- luta, & praeterea deberet tendere talem pluralita- tem esse sine ordine vt colligeretur dari confusio- nem in Deo.

57 Quapropter tantum abest vt ex summa identi- tate probari possit confusio inter absoluta praedicta, quin potius evidenter demonstretur inca- pacitas omnino tum ad confusio- nem, tum ad ordi- nationem oppositam confusio- ni, quia talis ordi- natio petit multitudinem ordinatam quae nullo modo datur inter absoluta praedicta.

58 Exemplo manifesto demonstratur ex eo quod nulla datur distinctio realis, seu realiter inter ab- soluta praedicta Dei, nullo modo potest argui di- cendo: ergo datur confusio realis & realiter inter talia attributa quin potius debet argui dicendo: ergo inter absoluta datur incapacitas confusio- nis realis, & realiter ex eo quod Deus ratione ta- lis identitatis realis sit incapax multitudinis ordi- nabilis, & inordinabilis: ergo similiter ex iden- titate omnimoda in omni genere, non debet argui confusio, sed potius omnimoda incapacitas con- fusio- nis in omni genere, quia datur omnimoda inca- pacitas multitudinis, quae necessario requiritur tum ad confusio- nem, tum ad ordinationem illi oppositam.

59 Igitur quod recte colligetur, est quod in Deo nullo modo à parte rei sunt distincta, & plura praedicta absoluta, sed vnum simplicissimum omnino idem, quod summam & infinitam perfe- ctionem indicat in Deo excludentem omnem im- perfectionem, quae daretur in ipso ratione omnis, & cuiuscumque distinctionis sive realis sive ex na- tura rei.

60 Declaratur amplius, si aliquis poneret tres re- lationes divinas, aut tres personas increatas sine ordine illo mirabili quem habent prima, secun- da, & tertia Patris à nullo producti, Filij producti

per intellectum à Patre, Spiritus Sancti proceden- tis à Patre, & Filio per voluntatem, sine dubio tunc posset colligi confusio inter divinas perso- nas, quia supponendo esse plures, ponuntur inor- dinate aut sine ordine.

61 Contra vero, si aliquis haereticus negaret tres personas realiter distinctas, & diceret, tres quas nos damus non esse plures; sed vnicam omnino eandem, sine vlla distinctione sive reali, sive ex natura rei: ad hoc vt Catholicus Theologus pru- dens convinceret huiusmodi haereticum, non de- beret arguere dicendo: ergo datur confusio in per- sonis divinis, quia iure quidem optimo irrideret haereticus talem Catholicum argumentum, imo pos- set haereticus dicere tantum abesse vt ex vnicā persona arguatur confusio, quin potius arguitur recte incapacitas confusio- nis, quia ex vi unitatis, & identitatis omnimoda inter divinas personas tollitur multitudo quae necessario requiritur ad confusio- nem.

62 Item, si tua solutio valeret, posset optime Ethni- cus dicere dandos esse plures Deos, & non asse- tendum dari solum vnum omnino eundem sine vlla distinctione sive reali sive ex natura rei, quia per te ex eo quod nulla datur distinctio sive rea- lis sive ex natura rei attributorum absolutorum; sed potius summa identitas vniuersitas, & simplici- tas eorum, datur confusio attributorum eorumdem: sed nulla datur distinctio Deorum; sed potius summa identitas vniuersitas, & simplicitas Dei: ergo datur confusio per vos; sed haec est monstruo- sa, & falsissima argumentatio: ergo similiter fal- sa erit argumentatio vestra quia ex summa identi- tate attributorum excludente omnem, & quam- cumque distinctionem ex natura rei colligitur dari confusio- nem attributorum.

63 Dices, ex nostra solutione colligi non solum negandam esse omnem distinctionem Deo inter attributa realem, & ex natura rei; sed etiam vir- tualem, ac per aequivalentiam quae vera distinctio est.

64 Sed contra manifeste, quia distinctio virtualis, aut per aequivalentiam solum est summa identitas Dei aequivalens distinctioni simpliciter formali. Vnde tantum abest vt haec distinctio per aequiva- lentiam, aut virtualis debeat excludi à Deo qua- tenus est summe idem, quin potius petatur à sum- ma perfectione, & illimitatione infinitae identita- tis Dei; nam ex eo quod talis identitas est sim- plicissima, & vniuersissima sine vlla distinctione actuali petit vt Deus aequivaleat pluribus distin- ctis, quae aequivalentia non opponitur identitati summae quia non est proprie distinctio, sed aequi- valentia ad distinctionem; Si enim esset proprie distinctio actualis, etiam minima opponeretur summae identitati divinae, ac proinde excludere- tur sine dubio omnino à Deo, quia duo opposita absoluta in Deo, neque in minimo gradu compa- riuntur in Deo propter summam perfectionem at- tributi absoluti existentis in Deo in summo gradu perfectionis.

65 Exemplo demonstratur, quod enim formaliter habeat Deus successionem in sua actu duratione, etiam minima sive realem sive ex natura rei arguit imperfectionem in Deo, ratione cuius, & propter summam simultatem, & permanentiam divinae eternitatis debet excludi à duratione divina, & ni- hilominus aequivalentia successionis aut virtualis successio nullo modo est excludenda à Deo, quia haec potius arguit summam perfectionem, in di-

C c 3 vna

vina simultanea, & indivisibili perfectione divina eternitatis quam aliquam imperfectionem, & ideo non opponitur tali eternitati omnino permanenti; sed potius est summa perfectio illius ratione pure actualitatis quae reperitur in tali aequivalenti successione, prima autem formalis successio etiam minima pugnat cum infinita perfectione divina, & ideo omnino excludenda est à Deo; deinde divisibilitas formalis, aut extensio formalis in loco pugnat cum indivisibilitate, & in extensione formali divina, & ideo extensio formalis seu divisibilitas formalis excluditur à Deo, non autem extensio per aequivalentiam, aut virtualis, quia hæc nullo modo opponitur formali inextensioni, & indivisibilitati divinæ.

66 Ergo similiter omnis, & quaecumque distinctio formalis actualis etiam minima sive realis sive ex natura rei pugnat cum omni identitate, & summa perfectione illius, & ideo excluditur à Deo inter absoluta omnis, & quaecumque distinctio sive realis sive ex natura rei formalis, & actualis; contra vero, quia distinctio virtualis seu per aequivalentiam non est actualis neque formalis, non solum non pugnat cum summa identitate omnimoda divinæ, sed potius est perfectio illius, quia in Deo non solum est perfectio esse summe idem, sed etiam aequivalere distinctis non solum ex natura rei; sed etiam realiter, ut videre est in actibus liberis, & necessariis divinis, qui licet non habeant distinctionem ex natura rei, habent tamen distinctionem virtutalem per aequivalentiam, ex eo quod licet non distinguantur eo modo quo differunt formaliter actus necessarii, & liberi creaturarum, nihilominus aequivalent illis indistinctione, & ideo eadem entitas divini actus est libere, & necessaria perfectiori modo quam actus voluntatis creatæ sunt liberi, & necessarii in creaturis.

67 Quapropter, si actus liber, & necessarius in divinis nullam haberent distinctionem, neque formalem, neque virtutalem aut per aequivalentiam, nullo modo possent esse una simplex unitas quæ simul sit libera, & necessaria.

68 Præterea, quia omnis libertas actus petit indifferenciam, & contingentiam ad essendum vel non essendum, quæ contingentia in creaturis est formalis, ita ut actus liber Dei possit esse, & definire esse formalissime, quia autem illa ut est in creaturis dicit imperfectionem, nullo modo datur in Deo; datur tamen in ipso contingentia ad essendum, & non essendum per aequivalentiam, & modo quo eam late explicuit materia de prædeterminatione, quæ aequivalentia est summa perfectio in divina libertate.

69 Ergo similiter erit summa perfectio omnidentitatis divinæ quod illa aequivalet pluribus, & infinitis distinctionibus: unde tantum abest quod illa excludatur à summa identitate Dei, & opponatur illi, quin potius necessario erigatur ab illa ex vi suæ infinitæ perfectionis.

SVBSECTIO II.

Secunda principalis ratio ponitur.

70 **S**I in Deo distinguerentur ex natura rei formaliter ratio entis, & differentia increata, daretur vera, & formalis compositio ex natura rei inter tales rationes: sed in Deo nullo modo po-

test dari aliqua vera, & propria compositio formalis à parte rei secundum fidem catholicam: ergo in Deo non distinguuntur ex natura rei formaliter ratio entis, & ratio increati, neque vlla attributa absoluta inter se: consequentia est evidens supposita maiori, & minori; minor est certissima secundum fidem, & luminis naturali nota. Prima pars definita est in Concilio Florentino Constantinopolitano i. Constantiensis, & in Concilio Lateranensi cap. firmiter, de summa Trinitate, ubi decernitur Deum esse summe, & omnino simplicem sine aliqua compositione, etiam minima, de quo latissime Doctores agunt i. p. agendo de simplicitate divina, quibus remitto Lectorem. Secunda pars de evidentia huius simplicitatis excludentis omnem, & quaecumque compositionem evidenter à me demonstratur in metaph. tractatu de Deo.

Maiores, in qua est tota difficultas, sic probatur, 71 quia nihil aliud est in bona metaphysica compositio ut sic, nisi distinctorum unio ut sic, v. g. compositio realis realiter est distinctorum realiter unio, & compositio modalis est distinctorum modaliter unio, imo, & compositio rationis, est unio distinctorum per rationem; sed per vos ens, & differentia increata habent distinctionem ex natura rei in Deo, & uniuntur ad constituendum unum Deum: ergo vere, ex natura rei componunt Deum in esse entis increati.

Hæc consequentia sic probatur, quia ubi est 72 ratio formalis alicuius effectus, vel quasi effectus formalis, datur talis effectus vel quasi effectus, saltem in universissima ratione: sed distinctio in re vera ut sic cum unione, & constitutione, aut coniunctione est ratio formalis compositionis, & hæc datur in Deo ex natura rei formaliter: ergo in Deo datur compositio ex natura rei vera.

Dices verum esse quod datur in Deo distinctio 73 ex natura rei, non tamen dari compositionem ex natura rei, quia non datur unio inter tales rationes formales.

Sed contra manifeste, quia illæ formalitates 74 erunt ex natura rei divise, & discrete: ergo ex natura rei non constituent unum Deum in esse unius Dei, & entis increati formalissime; patet hæc consequentia, quia ad hoc ut constitutiva constituent unum in ea ratione qua illud constituunt, debent habere indivisionem & unitatem, quia nemo dat quod non habet, alias in effecta formali daretur aliqua formaliter, & non daretur nec contineretur in ratione formali formaliter constituyente tale constitutum, quod esse omnino falsum late supra demonstravimus.

Sed illæ rationes constitutivæ Dei, ex natura 75 rei non habent unitatem, sed potius divisionem, & discretionem: ergo ex natura rei non possunt constituere unum Deum: sed potius constitutum per illa erit unum discretum, & plura simpliciter: atqui Deus neque realiter, neque ex natura rei est plura simpliciter, & unum per accidens; sed potius ex natura rei est unus: ergo constitutiva eius habent unitatem ex natura rei; sed non habent unitatem identitatis ex natura rei, cum potius per vos habeant distinctionem ex natura rei: ergo habent unitatem unionis, & compositionis, quia non datur medium inter unitatem identitatis, & unitatem compositionis in subiecto quod est unum.

Dices non habere unitatem compositionis, quia hoc dicit imperfectionem.

Sed

Quaest. Vltima, vtrum ens praescindatur. 207

Sed contra, quia per vos non habent ens, & differentia increata vnitatem vnionis, & compositionis, & ex alio capite per vos non habent vnitatem identitatis ex natura rei formaliter, quia vbi datur distinctio ex natura rei non potest dari identitas ex natura rei: ergo nullam vnitatem ex natura rei habent; ergo ex natura rei nullam vnitatem tribuunt Deo, quia nemo dat quod non habet; ergo ex natura rei constituunt Deum tribuendo illi pluralitatem; ergo Deus ex natura rei est plures, & non vnus: sed hoc est contra fidem catholicam definitum contra Gilbertum Corretanum: ergo nullo modo potest dici pluralitatem ex natura rei accipere Deum, & constitutivis, neque esse plures; ergo ex natura rei, constitutiva quatenus talia habent vnitatem inter se, vt constituent Deum in esse vnus ex natura rei; cum ergo per vos talia constitutiva non sint vna ex natura rei vnitatem identitatis, necesse est vt sint vna vnitatem vnionis, & compositionis, hoc est vt sint vnitatem atque constitutiva vnita, & habentia vnitatem compositionis constituent componendo; ergo constitutiva Dei componunt Deum ex natura rei, ac proinde Deus erit ex natura rei compositus: sed hoc est falsum; ergo falsa vestra sententia.

⁷⁷ Dices sufficere in talibus constitutivis vnitatem identitatis realis ad hoc vt Deus sit vnus omnino, etiam si non habeat identitatem ex natura rei, neque vnitatem compositionis.

⁷⁸ Sed contra, quia ex hac tua solutione sequitur Deum esse vnum realiter, & non plura realiter; non autem sequitur vt Deus sit vnus ex natura rei; patet hoc, quia identitas in vno genere non tribuit identitatis vnitatem in alio, v.g. identitas physica quae datur in Angelo, & simplicitas tam integralis quam essentialis non tribuit Angelo identitatem metaphysicam inter naturam, & substantiam, & identitas realis quae datur in esse substantiali Angeli non tribuit identitatem ex natura rei, inter naturam angelicam, & suppositualitatem: ergo similiter licet Deus habeat identitatem realem inter sua attributa, & constitutiva essentialia, ratione huius identitatis non habet per vos identitatem ex natura rei inter constitutiva, & attributa: ergo licet habeat vnitatem identitatis realis, non ideo habebit vnitatem identitatis ex natura rei, sicut, v. g. ex eo quod anima rationalis habeat vnitatem identitatis inter praedicata superiora, & inferiora realiter, non inde sequitur habere vnitatis identitatem per rationem, & tota ratio est, quia idem est vnitas identitatis ac ipsa identitas: sed per vos licet Deus habeat identitatem realem inter constitutiva, nihilominus non habet identitatem ex natura rei formaliter inter ipsa: ergo licet habeat vnitatem identitatis realis, & realiter, nihilominus non habebit vnitatem identitatis ex natura rei, & ex alio capite talis identitas, & vnitas identitatis realis non dat neque tribuit Deo vnitatem vnionis, & compositionis ex natura rei inter illa constitutiva: ergo talis vnitas identitatis realis nullam tribuit indivisionem ex natura rei: ergo licet illa constitutiva sint indivisa realiter, nihilominus manebunt divisa, & discreta ex natura rei; ergo manebunt plura ex natura rei, sed plura vt plura in aliquo genere non possunt constituere in illo genere vnum vt vnum, vt ex se patet, quia implicat vt constitutivum existens sub carentia alicuius formalitatis, tribuat con-

stituto talem formalitatem, ideo enim vnitates discretae, quae numerus vocantur, quatenus sub carentia continuationis sunt, nullo modo possunt constituere vnum continuum, quia numerus seu vnitates discretae sunt sub carentia continuationis quam haberet effectus, sed constitutiva divina ex natura rei seu in illo genere sunt sub carentia vnitatis, & indivisionis, tum identitatis tum vnionis: ergo in illo genere sunt plura divisa, & discreta; ergo in illo genere non possunt constituere vnum vt vnum: sed necessario constitutum erit plura, & maximum vnum per accedens.

Explicatur hoc, substantia Angeli, & Angelus non habent distinctionem realem, quia modus, & res nullo modo distinguuntur realiter, sed solum modaliter vel ex natura rei, ratione cuius communiter dicitur a Thomistis, & a P. Vazquez, imo & ab Scoto, & ab Scotistis modum realiter identificari cum re cuius est modus; unde licet substantia Angeli, & natura Angelica habeant identitatem realem, quia tamen non habent identitatem ex natura rei, licet habeant vnitatem identitatis realis, non habent vnitatem identitatis ex natura rei, quapropter vt constituerent Angelum in esse vnus suppositi, necesse fuit vt haberet vnitatem vnionis, vel compositionis ex natura rei, alias si ex natura rei vel in illo genere non haberent vnitatem compositionis, nec vnitatem identitatis, etiam si in alio genere essent idem, & haberent vnitatem, nullo modo possent constituere vnum suppositum per se; sed potius ex natura rei essent plura, & constitutum per illa, esset vnum per accedens: ergo similiter in nostro casu, si per vos etiam si habeat vnitatem identitatis realis, aut realiter Deus inter sua constitutiva, nihilominus tamen ex natura rei formaliter non habet vnitatem ex natura rei identitatis aut vnionis, sequetur evidenter realiter esse vnum Deum per se, ex natura rei formaliter non esse vnum per se, sed potius vnum per accedens, & plura simpliciter: sed hoc non admittis, & adhuc concedendo identitatem realem negatis identitatem ex natura rei, ac proinde vnitatem in tali genere: ergo vt consequenter loquamini, debetis dicere dari in Deo vnitatem vnionis ex natura rei, & compositionis.

Explicatur amplius, quia in vestra sententia in homine animal, & rationale non distinguuntur realiter, sed solum formaliter ex natura rei, & nihilominus in homine datur compositio formaliter ex natura rei vt sit vnus in tali genere, quia per vos omne ens creatum quatenus habet distinctionem, & vnitatem est compositum: ergo identitas realis non tollit compositionem ex natura rei quando ex natura rei datur distinctio, & datur vnitas.

Atqui per vos licet in Deo detur identitas realis inter constitutiva, nihilominus ex natura rei datur distinctio formalis, & ex alio capite datur vnitas ex natura rei: ergo talis identitas non tollit compositionem ex natura rei, licet tollat compositionem realiter, quia vnum genus non obstat neque obest alteri ex eo quod non detur transitus a genere ad genus, vt manifeste videtur inter formalitates distinctas per rationem, quae vt constituent vnum per rationem, necessario debent habere vnionem aut compositionem per rationem, alias per rationem nullam haberent vnitatem,

uitatem, & ideo nullam possent dare constituto per ipsa, siquidem nullam haberent unitatem neque compositionis neque identitatis per rationem, in quo casu non sufficeret identitas realis inter illa prædicata ad hoc ut constituerent unum per rationem, quia identitas in uno genere non sufficit ad constituendum unum in alio genere.

81 Confirmatur, quia illud quod non obest definitioni alicuius, non potest obesse definito illius quia sunt omnino idem, v. g. implicat quod mors obest existentiae hominis a parte rei, & quod non obest existentiae animalis rationalis: sed identitas illa realis in Deo non obest cominus constitutiva illius sint distincta, & non divisa, ac proinde indivisa: ergo non obest cominus sint vere unita, & composita, quia indivisio distinctorum est definitio unionis.

82 Dicunt multi ex Scotistis illa constitutiva neque uniri inter se nec componere Deum, quia sunt omnino inseparabilia.

Sed contra, quia separabilitas, aut inseparabilitas in rebus est distincta formalitas ab unitate earum: ergo inseparabilitas non tollit unitatem, siquidem in una, & eadem entitate possunt reperiri duae illae formalitates, v. g. substantia Angeli, & natura ipsius sunt omnino inseparabiles: item forma cæli, & materia illius dicunt naturalem inseparabilitatem, & nihilominus illa naturaliter component unum suppositum Angelicum, & ista unum cælum; item ratio entis quæ identificata est realiter cum differentijs, & ratio animalis identificata cum rationali propter talem identitatem sunt omnino inseparabilia, & nihilominus component ex natura rei unum hominem.

83 Clarius, & evidentijs: conservatio Angeli, quatenus actio Dei, & substantia Angeli conservata, ita sunt inseparabiles ut nec divinitus possit substantia Angeli existere sine omni conservatione divina, & nihilominus ex illa conservatione, & substantia Angeli componitur unum conservatum intrinsece, quia Angelus conservatus est concretum intrinsecum ex formali, & materiali copulatis: nam conservatio quatenus terminatur ad Angelum afficit illum; sed impossibile est quod forma intrinseca afficiat, & denominet aliquod subiectum, quin uniat illi intrinsece, in quo distinguitur illa efficientia ab efficientia extrinseca: ergo si Angelus afficitur intrinsece per conservationem quamcumque, componit cum illa unum concretum, non obstante inseparabilitate inter omnem conservationem, & substantiam Angeli conservatam: ergo licet formalitas constituti unius sit inseparabilis ab alia, poterit uniri cum illa si simul concurrant ad constituendum unum: atqui constitutiva Dei, etiamsi inseparabilia sint ex natura rei sunt distincta & constituunt ex natura rei unum Deum: ergo ex natura rei component Deum ut unum.

SECTIO III.

Tertio principaliter arguitur, & oppugnatur sententia adversaria.

84 **Q**uia id quod formaliter, & absolute est aliquod subiectum, non distinguitur ab illo neque absolute neque formaliter; sed per seitas in Deo realiter, & formaliter est ens, & idem est

de differentia increata: ergo per seitas non distinguitur ab ente ullo modo formaliter.

Maiores evidens, quia id quod absolute, & formaliter est tale, habet identitatem absolute, & formaliter cum illo, ac proinde formalissime est idem cum eodem; sed illud quod absolute, & formaliter est idem cum alio non distinguitur ab illo absolute, & formaliter, quia cum identitas opponatur distinctioni in eo genere quo fuerit identitas, in eo genere expellet distinctionem, quia unum oppositum excludit aliud sibi essentialiter oppositum.

Minor præcipua probatur, quia illud de quo prædicatur realiter, & formaliter ens, est formaliter, & realiter ens; sed ens prædicatur realiter de per seitate: ergo per seitas est realiter, & formaliter ens; minor in qua est difficultas sic demonstratur primo, quia de per seitate prædicatur quod non repugnet existere a parte rei; sed non repugnans existere formalissime a parte rei, & ex natura rei est ens: ergo de per seitate prædicatur quod sit ens formalissime, & a parte rei, minor est evidens, quia ens in tota sua latitudine, & quatenus tale, est id quod potest existere; seu quod non implicat existere, nam ens reale quatenus tale formalissime est obiectum omnipotentiae divinae, & oppositum impossibile; sed oppositum impossibile, quatenus tale, est quod non repugnat existere, quia impossibile quatenus tale repugnat existere: ergo ens formalissime quatenus tale sive realiter, five ex natura rei est quod potest existere vel non repugnat existere.

Maiores sic demonstratur, quia inter duo contradictoria nullum datur medium; quare si de aliquo subiecto non potest prædicari unum contradictorium, necesse est ut prædicetur & aliud, v. g. quia de homine aut de lapide non potest prædicari quod sit Deus, necesse est ut prædicetur quod non sit Deus, quæ veritas innititur illi evidentissimo principio metaphysico, videlicet quodlibet, vel est vel non est: sed de per seitate nullo modo potest prædicari ex natura rei repugnans existere, aut quod implicet existere: ergo necesse est prædicari de ipsa non repugnans existere ex natura rei.

Declaratur amplius, ab actu ad potentiam, evidens est consequentia; sed per seitas non solum realiter; sed etiam ex natura rei existit, & est: ergo ex natura rei potest existere, & esse sine ulla repugnantia ad existendum, & essendum, quapropter sicut irridetur aliquis iure optimo, qui diceret homini ridenti implicare, & repugnare posse ridere, ita similiter irridendus est qui dixerit per seitati ex natura rei formalissime existenti repugnare esse, & existere: ergo evidenter sequitur per seitatem formalissime posse existere, & non repugnare esse: sed quicquid non repugnat existere, & potest existere in ea ratione qua potest, est ens formalissime: ergo per seitas, quæ ex natura rei non repugnat existere ex natura rei erit ens: ergo ex natura rei identificatur cum ente, ac proinde ex natura rei non distinguetur ab ente.

Secundo quicquid est positivum ex natura rei, ex natura rei formalissime est ens; sed per seitas ex natura rei est positiva: ergo per seitas ex natura rei formaliter est ens: maior meo videri est evidens, quia quicquid est positivum opponitur immediate negativo (loquor enim de positivo obiective

obiective non de positivo quoad nomen hoc est non ens, vel nihil: sed quod immediate opponitur non ens est ens: ergo quicquid est positivum est ens, de quo late tracto agendo de primo attributo entis. Minor sic demonstratur primo, quia perfectas est constitutum primum positivum in quantum positivum: sed quicquid est constitutum primum positivum, est positivum: ergo perfectas est ex natura rei quid positivum. Maior est evidens, quia perfectas primario constituit substantiam: sed substantia ex natura rei est positiva: ergo perfectas primario est constitutiva positivum: minor illa sic probatur, quia eo modo debet esse primum constitutum quo est constitutum, quia inter constitutum & constitutum datur convenientia, & proportio in gradu essendi: sed constitutum est positivum: ergo constitutum debet esse positivum, & non negativum.

⁹⁰ Explicatur hoc, ideo differentia increata est positiva, quia primario, & per se constituit Deum qui positivus est: item rationale est in ordine positivo, quia homo quem constituit est in ordine positivo: sed perfectas constituit primo ex natura rei substantiam, quæ primario, & essentialiter est positiva: ergo perfectas est primo, & per se positiva.

⁹¹ Ratio autem à priori est, quia negatio semper sequitur aliquod positivum, in quo fundatur, quia negatio est secundarius conceptus, ac proinde accessorium respectu alicuius principalis, quod non potest esse aliud nisi positivum: ergo negatio non potest esse primum constitutiva, sed potius debet secundario advenire post illud positivum, quod sequitur, & in quo fundatur, ita ut quasi prius deat in constitutione positivum quod sequitur negatio, quam negatio ipsa quæ fundatur in tali positivo. Exemplo manifestum demonstratur, rationale dicit negationem irrationalis seu bruti, quia autem talis negatio sequitur rationale, ex eo quod negatio sit, dicimus non primario constituitur hominem, sed secundario: item veritas sive transcendentalis, sive individualis non constituit primario, sed secundario, ex eo quod negatio est; unde ens prius constituit, quam veritas transcendentalis, quia talis veritas sequitur ens, & ens præsupponitur ad illam.

⁹² Item singularitas positiva constituit prius singulare quam veritas individualis, ex eo quod veritas individualis, quia negatio præsupponit singularitatem positivam quam sequitur, itaque negatio maxime assimilatur accidenti in hac proprietate, quod non possit constituitur primario, ac proinde quod sit secundarius conceptus rei; nam sicut accidens semper præsupponit aliquod subiectum substantiale, quod sequitur, & in quo subiectatur, ita similiter negatio semper præsupponit aliquod positivum, quod antecedit ipsam negationem, & cui affigatur ipsa negatio, ratione cuius non potest negatio se communicare constituendo, nisi primario se communicet positivum illud cui innititur talis negatio, & sic positivum illud erit primum constitutum; negatio autem erit secundario, & nullo modo poterit induere rationem primarij constitutivi.

⁹³ Ergo si perfectas primario constituit positivam entitatem substantiæ, in omnium sententia etiam Adversariorum, evidenter, & manifeste se-

R. P. Ildeph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

quitur esse quid positivum.

Secundo, quia perfectas, & non perfectas opponuntur contradictorie ex natura rei: ergo perfectas, & non perfectas sunt extrema, quorum unum est positivum, & alterum negativum; hoc enim petit natura contradictoria, ut ex definitione illarum manifestum est: sed perfectas non est extremum negativum cum affirmativum sit: ergo est positivum, præcipue, quia illud est negativum extremum quod sufficitur negatione aliqua significata hoc nomine, vel particula *non*: atqui non perfectas afficitur tali particula: ergo est extremum negativum, ex quo sequitur manifeste, perfectas esse extremum positivum, tam realiter quam ex natura rei formaliter.

Vergetur, quia id quod est radix alicuius formalitatis positive est prædicatum positivum, quia nihil datur in effectu quod non contineatur in causa, aut radice, quia cum effectus habeat esse à causa, si est positivus debet esse à causa positiva: ideo enim gradus intellectus seu rationalis, & animalis sunt gradus positivi, quia sunt radices ratiocinandi, & sentiendi, quæ positivæ formalitates sunt: sed perfectas est radix substantiæ ex natura rei, & quatenus per vos distinguitur ab ente: ergo est positiva entitas ex natura rei. Patet consequentia, quia substantia ex natura rei est positiva formalitas, sed perfectas est causa seu radix à qua accipit esse substantia, quatenus positiva: ergo ipsa perfectas erit quid positivum.

Vergetur principaliter, quia id quod habet essentiam ex natura rei, & habet esse est ens: sed perfectas adhuc ut per vos distinguitur ab ente habet essentiam, & esse: ergo perfectas ex natura rei formalissime est ens, & prædicatur ens de ipsa. Maior est evidentiissima, quia habere esse, & esse ens seu habere essentiam sunt synonyma entis: atqui cui convenit obiectum unius synonymi convenit obiectum alterius: ergo quod habet esse, & cui convenit habere essentiam ex natura rei, conveniet ex natura rei esse ens, & erit formalissime ens, ut ex terminis patet. Minor illa sic demonstratur, quia quod tribuit alicui essentialem gradum debet in se habere essentiam, & habere esse: sed perfectas tribuit substantiæ gradum essentialem entis per se: ergo perfectas habet essentiam, & esse.

Vergetur, quia quicquid distinguitur essentialiter ab aliquo, habet essentiam distinctam ab eo à quo distinguitur, quia per idem distinguitur res primario, per quod primario constituitur: unde si homo distinguitur essentialiter ab equo, necesse est ut habeat essentiam, per quam distinguatur ab eo: sed perfectas, quatenus talis formalissime, & ex natura rei, distinguitur essentialiter ab accidente, non solum specificè, & modo quo rationale distinguitur ab equo, sed etiam genericè, quidditative, essentialiter, eo modo quo homo, & arbor distinguuntur: ergo perfectas habet essentiam, & esse quidditative distinctum ab accidente, ac proinde habebit veram essentiam, & veram esse: item, omne quod est à parte rei ex natura rei, habet suam essentiam, per quam primario, & quidditative constituitur, & ratio est manifesta, quia omne quod est à parte rei, est definibile essentialiter per sua prædicata essentialia à quibus primario, & quidditative constituitur: sed quicquid est definibile per sua prædicata essentialia, habet essentiam, & esse verum quidditativum:

D4 ergo

ergo omne quod est à parte rei ex vi naturæ ipsius, habet veram essentiam, & esse: ergo est ens ex natura rei: sed perfectas sine vlla fictione vere, & proprie ex natura rei, est in substantia, & est vere essentialiter definibilis: ergo est verum ens.

97 Præterea, quia cui ex natura rei convenit attributum entis, debet esse ens: sed perfectas convenit unitas, veritas, & bonitas, quæ sunt attributa entis: ergo perfectas ex natura rei est ens. Maior est evidens, quia attributum est inseparabile ab essentia illius, cuius est attributum; quare ab attributo ad essentiam optima fit illatio: quapropter si per impossibile conveniret alicui præter Deum esse omnipotentem, immensum à se, & independentem, sine dubio conveniret ei essentia. Deinde si alicui convenit risibilitas, necessario convenit essentia hominis, licet risibilitas, quia est proprietas, & non attributum, non habeat tam necessariam connexionem cum homine, sicut attributa cum ente.

98 Minor est certa, quia perfectas est indivisa in se, & divisa ab accidenti: ergo est una à definitione unitatis; item perfectas est appetibilis ex natura rei: ergo est bona, tandem sub quacunque præcognitione perfectas concipiatur, & sub quacunque distinctione existat, est intelligibilis; unde vos intelligitis ipsam ut ex natura rei distinctam, ab ente: sed omne quod est intelligibile, quatenus tale habet intelligibilitatem, seu veritatem transcendentalem: ergo. Sed hæc omnia sunt attributa entis: ergo attributa entis conveniunt vere, & proprie perfectas ex natura rei.

Tandem, quicquid est, & quicquid datur à parte rei, potest esse subiectum affirmationis, vel negationis, quia quodlibet vel est vel non est; sed perfectas vere datur à parte rei: ergo potest esse subiectum affirmationis, vel negationis. Essendi cum veritate interrogo à vobis de perfectate an sit, vel non sit: non potestis dicere non esse: ergo debetis affirmare de perfectate, quod sit: sed id quod est, & quod habet esse ex natura rei, ex natura rei est ens: ergo perfectas ex natura rei, & formalissime est ens. Minor illa sic probatur, quia quod non est, seu quod nihil est, nihil potest facere, aut constituere; atqui perfectas essentialiter facit, & constituit substantiam; & ens per se, unde falsissimum est dicere perfectatem nihil facere, & nihil constituere, alias substantia quæ constituitur à perfectate nihil esset: ergo substantiæ perfectas formalissime ex natura rei vere est, ac proinde falsum est dicere quod non sit.

100 Vergetur, quia id quod opponitur enti rationis, & est positivum, debet esse ex natura rei formalissime vel sub non esse vel sub esse, & hoc ita necessario ut aliter non possit contingere, quia inter duo illa contradictoria universalissima comprehensa in illo principio, quodlibet est vel non est, nullum datur medium, quia adæquata divisio universalissima omnium, debet necessario comprehendere quicquid non est fictum (videlicet à parte rei) sed differentia illa perfectas datur sine fictione à parte rei: ergo comprehenditur ex natura rei formalissime necessario sub aliquo membro vel sub esse, vel sub non esse.

101 Sed non comprehenditur sub non esse, quia negatio est, & negatio prædicatur essentialiter,

& ex natura rei de omnibus membris aut inferioribus, contentis sub tali negatione; atqui negatio essendi non prædicatur formalissime ex natura rei de perfectate, alias esset verum dicere perfectas vere, & realiter non est, neque datur à parte rei ex natura rei, quod est falsissimum, & ex terminis patet. Deinde quia, ut supra probavimus, perfectas est id de quo prædicatur positiva formalitas, aut prædicatum positivum: ergo non prædicatur de eo negatio, alias de eodem prædicarentur simul affirmatio, & negatio, positivum, & negativum: ergo duæ contradictoriae, quod est impossibile, quia impossibile est idem simul esse, & non esse: sed perfectas, quatenus constituit substantiam positivam est positiva: ergo non est negatio: ergo negatio essendi ut sic non prædicatur ex natura rei de perfectate; unde duplex negatio essendi verificabitur de perfectate ex natura rei; siquidem nunc fatemini de perfectate ex natura rei verificari non negatio essendi, seu non verificari negatio essendi: sed duæ negationes essendi sunt affirmatio essendi: ergo perfectas ex natura rei non est sub non esse, sed potius sub esse ut sic: sed esse ut sic est ens ut sic, & ens ut sic prædicatur formaliter de omni contento sub illo: ergo ens ut sic prædicatur ex natura rei absolute de perfectate, dicendo perfectas est ens: ergo perfectas ex natura rei non distinguitur ab ente.

Dices de perfectate non prædicari quod sit ens absolute: sed solum quod sit ens secundum quid, & secundum quid sit.

Contra, quia nihil aliud sonat illud prædicatum, est absolute, nisi habens essentiam absolute, & simpliciter oppositam nihilo, uti debetur existentia: sed perfectas habet essentiam; seu quidditatem positivam, ut supra probavimus, oppositam nihilo, & non enti: ergo simpliciter est ens & simpliciter habet esse. Minor quoad secundam partem sic probatur, quia illud quod immediate opponitur contradictorie nihilo, & non enti, habet essentiam non solum oppositam, sed maxime oppositam nihilo: atqui perfectas immediate, & contradictorie opponitur nihilo: ergo habet essentiam maxime oppositam illi: Minor hæc sic demonstratur, quia illud contradictorie opponitur alteri, quod opponitur illi, ut positivum negativo: sed nihilum est negativum, & perfectas ex natura rei est positiva: ergo perfectas contradictorie, & immediate opponitur nihilo; præcipue, quia quando unum excludit aliud, negando illud, opponitur contradictorie illi: sed nihil negat perfectatem obiective, & formaliter in hac propositione: perfectas negat nihil (perfectas non est nihil): ergo inter perfectatem, & nihil datur oppositio contradictoria, ac proinde perfectas habebit essentiam simpliciter, & simpliciter esse.

Dicunt adversarij distinguere ab ente perfectatem ex natura rei, quia perfectas non est ens ut quod, neque habet esse ut quod, sed potius ut quo, vel ut quale.

Sed contra manifeste, quia illud est quo, respectu alicuius, quod formaliter constituit illud in esse realis cōcreti, & contra non potest esse quo, respectu illius, quod non constituit formaliter, ut patet manifeste in albedine, quæ est quo, respectu albi, & non est quo, respectu nigri, quia album constituit formaliter, & non nigrum, & humilitas est quo, respectu hominis, & non respectu

Quæst. Vlt. vtrum ens distinguatur, &c. 211

et lapidis, sicut inherencia non est quo respectu substantiæ, licet sit quo respectu accidentis, quia accidens constituit formaliter inesse inherenti, & non constituit substantiam: sed perfectas nullo modo constituit ex natura rei ens, vt ens, tanquam ratio formalis ipsius, quatenus entis: ergo perfectas ex natura rei non potest esse ens vt quo, neque vt quale, licet sit substantia vt quo, aut vt quale, ex eo quod constituat substantiam formaliter, vel vt ratio formalis illius.

105 Minor sic demonstratur, quia illa ratio formalis quæ proprie, & ultimo constituit aliquid inferius essentialiter vt tale, non potest esse ratio formalis constituendi superius illius essentialiter, v. g. quia rationale constituit ex natura rei formaliter proprie, & ultimo hominem non potest constituere animal vt tale, quatenus est superior ipsius hominis, & quia sensibile constituit formaliter animal non potest formaliter constituere substantiam, quatenus talis est, quia est superior respectu animalis.

106 Ratio autem à priori est, quia differentia diuidentes, & contrahentes rationem superiorem, sunt extra rationem essentialem illius: sed si essent constitutivæ rationis superioris, & constituerent ipsam vt quo, formaliter essent de essentia illius: ergo differentia inferiorum contrahentes rationem superiorem non sunt constituentes, neque constituunt rationem superiorem. Minor est clara, quia id quod constituit vt quo, aliquid concretum formaliter est de essentia illius: sed per vos differentia inferiores constituunt vt quo rationem superiorem: ergo differentia illius essent de essentia rei superioris: ideo enim rationale est de essentia hominis, quia hominem constituit vt quo, formaliter, & sensibile est de essentia animalis, quia constituit animal vt ratio formalis: sed differentia inferiores constituunt rationem superiorem vt quo, formaliter: ergo sunt de essentia illius, atqui ex Aristotele, & ex omni bona metaphysica, differentia inferiores sunt extra rationem essentialem superioris: ergo non constituunt illam vt quo, formaliter: ratio à priori est, quia differentia inferior aduenit superiori rationi iam completæ in suo esse, quia ratio superior, quando coniungitur cum differentia sua inferiori, habet completam essentiam in esse superioris, vt videre est in animali dum contrahitur per rationale, quod iam completum in esse animalis, hoc est in esse viventis sensibilis descendit ad rationale, vt cum illo constituat hominem.

107 Tunc sic, perfectas constituit essentialiter ultimo, proprie, formaliter vt quo, substantiam in esse substantiæ, quæ est inferior respectu entis vt sic: perfectas enim est vltima differentia propria per quam substantia constituitur in esse substantiæ, & differt vltimo ab accidenti: ergo perfectas vltimo, & proprie est constitutiva substantiæ.

Ergo non potest constituere vt quo ens, quatenus ens, & quatenus superius respectu substantiæ.

108 Præterea, quia ens in sententia Scoti non est complexum sed simplicissima ratio irresolubilis, in alios duos conceptus, ex alio capite ante omnem contractionem tanquam prima omnium ratio præsupponitur complete constitutum: ergo non constituitur perfectate, quia cum esset complexum ex ratione superiori, & differentia illa

R. P. de N. deph. Pen. asel, Theol. Schol. Tom. I.

perfectatis, ac proinde resolveretur in illa duo constitutiva ex natura rei distincta: quapropter esset prima vt supponitur, & non esset prima ratio, quia ante se supponit duo constitutiva illa.

Vrgetur, quia perfectas est quo constituitur substantia, non in esse entis, sed in esse substantiæ: ergo solum respectu substantiæ erit quo, & in alijs rationibus erit quod, quas non tribuit substantiæ, v. g. anima rationalis est quo hominis, & nihilominus est spiritualis vt quod; item est substantia vt quod, & ens vt quod; sed substantiæ non tribuit esse ens perfectas: ergo in esse entis non erit quo, sed quod.

De illo enim quod, interrogo an sit aliquid vel nihil: sed non est nihil; ergo aliquid, & ex alia parte est quod: ergo est aliquid vt quod: sed aliquid vt quod est ens vt quod: ergo perfectas ex natura rei non est quo ens, sed quod ens. Explicatur exemplo, licet enim nigredo sit nigrum vt quo, tamen esse rationem quare aliquid sit nigrum, non habet vt quo, sed vt quod, alias si ipsa esset ratio nigrefaciendi vt quo, esset assignandum nigrefactum vt quod, formale; quod non potest assignari: si igitur differentia perfectatis est quo, constituitur substantia formaliter in ea ratione erit constitutum quod, formale in gradu essendi; habens esse: sed habens esse vt quod est ens quod: ergo perfectas est ens vt quod.

Vltimo absolute argumentor contra omnem solutionem, quia perfectas quæ vocatur ens quale ens; quo modus seu affectio entis est quid positivum, vt probatum est supra, & conceditur ab adversarijs.

Atqui ipsum ens vt quod, est etiam positivum, & distinguuntur ex natura rei: ergo conveniunt in ratione positivi vt sic: sed à quacumque convenientia intrinseca potest abstrahi ratio illa conveniendi secundum Scotum: ergo ab ente, & perfectate potest abstrahi ratio positiva vt sic.

Tunc sic de illo positivo interrogo per quid contrahatur ad modum perfectatis constituendum & ad ipsum ens vt quod, si est per modos ex natura rei distinctos ab ipso positivo vt sic, eo modo quo perfectas contrahens ens distinguitur ex natura rei ab ente; contra primo: ergo iam ens non est prima ratio totius realis convenientiæ: sed datur alia superior ente vt sic, quod est absurdum contra ipsos adversarios.

Secundo contra, quia iam ens vt sic non erit simplicissima ratio, sed divisibilis, & resolubilis in rationem positivam vt sic, & in modum illum ex natura rei distinctum, per quem contrahitur positivum vt sic ad esse entis vt sic.

Vltimo contra evidentius, quia ex hac solutione Scoti, & Scotistarum sequitur processus in infinitum, adeo formidabilis ipsis, quem vt solum illum fugerent, coacti sunt introducere, vel ad introducendam distinctionem ex natura rei inter ens vt sic, & modum entis seu differentiam contractivam illius.

Processus in infinitum sic probatur, quia illa ratio positiva superior respectu entis vt sic, & perfectatis, contrahitur ad perfectatem, & ad ens vt sic per modos ex natura rei distinctos ab ipso positivo vt sic.

Tunc sic, ille modus constitutivus entis est positivus, quia constituit aliquid positivum vt positivum; nam ens vt constituitur per illum modum, est immediate oppositum non positivo, & non enti seu negationi essendi: ergo ipsum ens

De d. x. debet

debet esse positivum ut constituitur à tali modo: sed aliquid constituens positivum ut tale non potest esse negatio positivi, quia quod est sub vno opposito contradictorio, non potest constituere alterum sibi contradictorium; alias idem constitueret, & destrueret, vel ut melius loquar, esset constitutivum, & destrutivum alicuius, quod ex ipsis terminis repugnat; quare constitutivum unius contradictorii non potest participare essentialiter de altero contradictorio, nec esse sub illo: sed modus ille constituens ens in esse talis positivi, est sub positivo ut sic, ergo non potest esse negatio positivi.

118 Præterquam quod ille modus contrahens positivum ut sic, ad esse entis ut sic, nullius alterius rei positivæ potest esse negatio, quia ens, quatenus ens formaliter, & quatenus constituitur per illum modum, nihil positivum negat primario; sed potius adæquate, & totaliter est positiva ratio essendi, & sic adæquate, & primario est obiectum propositionis affirmativæ: ergo absolute ac simpliciter ratio formalis, & primaria constituendi illud est positiva formaliter.

119 Tunc sic, positivum ut sic contractum ad ens ut sic, est positivum: ergo ille modus contrahens positivum ut sic, ad ens ut sic, & distinctus, ex natura rei ab ipso positivo ut sic, convenient in intrinsece in ratione positivi ut sic, quæ ratio positiva ut sic superior altero positivo debet contrahi ad illud positivum commune enti, & perfecti per aliquos modos, ex natura rei distinctos, ab ipso positivo contrahibili; quia illi modi sunt rationes differendi, & illa ratio superior est ratio conveniendi: ergo debent distinguí ex natura rei, quia hæc est fundamentalis ratio propter quam Scotus non solum in creatis: sed etiam in divinis introduxit distinctionem ex natura rei inter ens ut sic, & differentiam creatam, & increatam.

120 Tunc sic, iterum interrogo de illo modo, per quem contrahitur positivum secundum, ad positivum primum ut sic: utrum sit modus negativus ut sic vel positivus? non negativus, quia constituit positivum ut sic secundum; unde non potest esse negatio, quia differentia primario constitutiva alicuius oppositi contradictorii, non potest contineri sub alio opposito contradictorio, ut modus increatus constituens Deum, non potest esse creatura: ergo ille modus constitutivus positivi secundi ut sic, non potest esse sub negatione positivi ut sic, quod est contradictorium illius: ergo erit modus positivus.

121 Item propter eandem rationem, illa ratio quæ contrahitur, est positiva, quia est convenientia duorum positivorum, sicut convenientia duorum animalium in esse animalis est animal, & duorum individuorum in esse hominis est homo.

122 Iterum iste modus per se est positivus, & illa ratio contrahibilis per hunc modum est etiam positiva: ergo datur ratio superior positiva, quæ communis sit rationi illi contrahibili, & huic modo contrahenti, quæ necessario debet contrahi utique per alios modos ex natura rei distinctos, & positivos; de quibus, & de ratione superioris iterum sit eadem interrogatio, & sic evidenter procedetur in infinitum: ergo supposita sententia Scoti datur processus in infinitum, & sic incident in ipsum absurdum, quod evitare contendunt introducendo suas distinctiones Scoti.

Item, quia illa ratio positiva ut sic, primo abstracta ab ente, & perfectitate, est intelligibilis in se ut quod, quia non est ratio intelligendi aliud, cum non sit aliud cuius formaliter possit esse, sed potius est ratio superior omni alia, ratio autem superior non dicitur ratio formalis intelligendi inferius, nisi dicatur propter quam, quæ ut supra probavimus debet in se prius ut quod cognosci, v.g. ens ut sic, non est ratio formalis sub quo cognoscendi substantiam, neque homo est ratio formalis intelligendi Petrum, ratione cuius prædicatum superius non est ipsa intelligibilitas superioris, sed potius est cognoscibile ut quod in se, & propterea est mediū propter quod cognoscitur inferius, & sic non est veritas inferioris, sed potius in se verum ut quod, quo cognito venimus in cognitionem alterius, sed verum ut quod, & intelligibile ut quod; atqui verum ut quod est ens ut quod: ergo illa ratio positiva erit ens ut quod; unde non abstrahetur ab ente ut sic, ut ratio superior, sed potius erit synonymum enti. Deinde perfectitas in suo conceptu habet rationem positivi: ergo perfectitas in se erit ens eo modo quo dicitur positivum.

SVBSECTIO I.

Ex principijs Scoti, & Scotistarum contra ipsos argumentor.

124 **Q**uia tota ratio propter quam asserunt Scotus, & Scotistæ distinguí ex natura rei in Deo rationem entis, & rationem increati, aut differentiam perfectitatis est, quia Deus convenit cum homine, & cum quacunque creatura in esse entis, & non convenit, sed potius differt à creatura per differentiam increatam, & ab accidenti per perfectitatem, cum quo convenit in esse entis, hoc est præcipuum, & principale fundamentum quo fundantur, ad introducendam talem distinctionem, ut patet ex primo, & principali argumento posito contra nos, & in favorem Scotistarum in 1. sect. huius quest.

Atqui bene potest dari quod per vnam formalitatem conveniat à parte rei Deus cum aliquo, & per aliam non conveniat realiter, sed potius differt, & nihilominus in sententia Scoti non distinguantur ex natura rei tales formalitates: ergo præcipuum fundamentum Scoti quo innititur distinctio ex natura rei, tanquam inane, & omnino futile funditus corrui; & penitus labefactatur: minor in qua sola est tota difficultas sic demonstratur.

126 Quia in sententia Scoti, & communi Scotistarum, sine vlla controversia actus necessarius voluntatis divinæ quo se amat, v.g. non distinguitur vlllo modo ex natura rei formaliter ab actu ipsius voluntatis divinæ libero; sed per actum liberum, quatenus liberum, & sub ratione formalis liberi convenit vere, & realiter Deus cum actu libero creaturæ, quatenus libero, & non convenit realiter cum tali actu libero per actum necessarium, sub ratione necessitatis vere, & realiter: ergo in vestra sententia vna, & eadem entitas formalissime sine vlla distinctione ex natura rei convenit, & non convenit realiter cum eodem.

Minor illa sic demonstratur, quia tunc aliqua conveniunt vere, & realiter, quando in utrisque datur

Quæst. Vlt. vtrum ens distinguatur, &c. 213

datur simile prædicatum à parte rei, & tunc non conveniunt realiter, quando in vno ex illis extremis datur carentia prædicati, quod datur in altero: sed in actu libero Dei, & in actu libero creaturæ datur simile prædicatum libertatis, cum uterque actus sit liber vere, & realiter: ergo actus liber Dei, & actus liber creaturæ conveniunt vere, & realiter in ratione formalissima liberi vt sic: sed in actu libero creaturæ, datur carentia necessitatis, quæ reperitur formaliter in actu necessario Dei, ex eo quod actus liber creaturæ, quatenus liber non est formaliter necessarius, & actus, v.g. quo se amat Deus, & per quem Pater, & Filius producant Spiritum Sanctum, non est liber formalissime, sed determinatus, & necessarius omnino: ergo actus necessarius Dei, quatenus necessarius, non convenit vere, & realiter cum actu libero creaturæ, quatenus liber est in ratione libertatis, vt sic: ergo.

Declaratur, ideo per vos misericordia divina, & misericordia creata conveniunt vere, & realiter, & iustitia divina non convenit realiter aut ex natura rei cum misericordia creata, quia in misericordia divina, & creata datur simile prædicatum miserendi in actu primo, & in iustitia divina, quatenus talis, non datur formalitas miserendi, sicut datur in misericordia creata, & ideo ratio entis quæ datur in Deo convenit cum creaturæ, quia etiam in creatura datur prædicatum entis, seu essendi, & non convenit Deus per differentiam increatam, quia ratio independentis, & im- participati non datur in creatura, sed in actu libero creaturæ datur ratio libertatis, sicut datur in actu libero Dei, & non datur in actu libero creaturæ formalitas necessarii, quæ datur in actu necessario Dei: ergo actus liber Dei convenit realiter in ratione liberi, vt sic cum actu libero creaturæ, & actus necessarius Dei, quatenus necessarius non convenit vere, & ex natura rei cum actu libero creaturæ, quatenus libero, & in ratione liberi, vt sic:

118 Confirmatur tota hæc ratio, quia infinitudo essentialis divina, & ipsa essentia divina non distinguuntur ex natura rei in vestra sententia, vt sæpe à vobis audivi; & auribus usurpavi, dum in affectionibus publicis defendendis constitutiva divinæ essentię explicaretis: item in vestra sententia, etiam vnumquodque attributum, vt distinguitur ex natura rei ab ipsa divina essentia, & vt ab alio attributo seernitur, habet suam infinitatem non distinctam ex natura rei à tali attributo. Tunc sic, divina essentia vt distinguitur ex natura rei à divina sapientia, convenit vere, & realiter cum illa in esse divino, & in esse infinito vt sic, quia in utrisque reperitur simile prædicatum divini, & infiniti, & non convenit cum divina sapientia vere, & realiter in ratione essentia, & naturæ, & idem est de divina misericordia, iustitia, &c. quia attributa iustitiæ, misericordiæ, &c. ex natura rei non sunt divina essentia, & natura, sed potius perfectiones attributales increatæ naturæ: ergo eadem formalissima entitas, sine vlla distinctione ex natura rei convenit, & non convenit cum eodem: ergo falsum est, id quod asseritis, dicendo ens distinguui ex natura rei à differentia increata Dei, quia ens convenit in Deo cum creatura, & talis differentia non convenit realiter cum illa.

129 Clarius, in differentia vltima Dei, quatenus talis est, & quatenus distinguui ex natura rei ab ipso ente, quod est in Deo non datur pluralitas

formalitarum distinctarum ex natura rei, quia vos asseritis esse ita simplicissimam, & eandem, vt minime possit resolui in duos conceptus ex natura rei distinctos.

Sed hæc ipsa differentia vltima Dei convenit 130 vere, & realiter cum differentia vltima creaturæ in ratione differentia: vt sic (quia sicut illa differentia distinguit Deum à creatura, & facit vt Deus differat ab illa, ita etiam differentia creaturæ distinguit creaturam à Deo, & facit vt creatura differat ab ipso) & disconvenit aut non convenit realiter in ratione increati sub ratione expressa increati, quia talis formalitas non reperitur in differentia creaturæ: ergo eadem omnino simplicissima formalitas, sine vlla distinctione ex natura rei, potest convenire, & non convenire, cum aliquo: quod clarius patet in singularitate Dei, quæ formaliter convenit cum singularitate creaturæ in ratione singularis vt sic, & non convenit cum singularitate creaturæ in ratione increatæ singularitatis, & nihilominus in singularitate divina non distinguuntur ex natura rei ratio singularitatis, & ratio increatæ singularitatis, quia singularitas divina, quatenus vltima differentia non est resolvable in duos conceptus, alias si esset resolvable, vt ipse Scotus in 1. latè probat, esset resolvable, daretur processus in infinitum, quod est absurdum omnino vitandum: ergo principale fundamentum Scoti, ad introducendam distinctionem, ex natura rei funditus corrui, & suo ipso pondere præmitur.

Secundo principaliter sic argumentor ex ipsius 131 Scoti principiis, quia ideo vos dicitis dari in Deo ex natura rei distinctionem inter rationem entis, & rationem increati, quia ratio entis in Deo separatur à ratione increati, quatenus existit in creatura sine ratione increati; sicut etiam separatur in Deo ratio entis, quæ reperitur in creatura à ratione creati; quia in Deo datur illa ratio sine ratione creati: totum hoc fundamentum patet ex secundo argumento posito in favorem Scotistarum *sección 1. huius questionis*; sed ex hoc argumento sequitur manifeste, non solum distinguui ex natura rei, rationem entis à ratione increatæ, sed quod magis est distinguui realiter absolute; ergo si aliquid probat vestra ratio, necessario debet probare in Deo repetiri distinctionem realem inter constitutiva Dei; sed dari distinctionem realem absolutam in Deo est hæreticum damnatum anno Domini 1148. sub Eugenio III. Papa, in Conc. Remensi, contra Gilbertum Porretanum: ergo tale argumentum probans conclusionem Scoti est omnino reiiciendum.

Quod autem ex tali argumento colligatur non solum distinctio ex natura rei, sed realis; sic demonstratur, quia ea quæ separantur realiter, realiter distinguuntur, & non solum ex natura rei; sed per vos ens separatur realiter ab esse increato seu à differentia vltima Dei, & etiam separatur à differentia creaturæ: ergo ratio entis non solum distinguui per vos à differentia Dei, & differentia creaturæ ex natura rei; sed etiam realiter. Maior est principium in metaphysica, quia idem realiter non potest esse sine seipso, alias esset, & non esset idem simul, vt videre est in Petro, & Ioanne; ideo enim colligimus Petrum distinguui omnino realiter sine vlla identitate reali à Ioanne, quia potest separari ab illo, & existere sine illo realiter, quod si negetur à vobis, omnino tollitur medium cognoscendi definitionem realem

inter duas res: ergo evidentiſſimum eſt ea diſtingui realiter inter ſe, ſine vlla identitate reali, quæ poſſunt ſeparari realiter, ita vt in aliquo ſubiecto ſit vnum ſine alio à parte rei, & ratio eſt manifeſta, quia quando datur identitas realis, non poeſt dari vnum ſine alio, aut deſtructo alio, quia quod deſtruitur quatenus deſtructum eſt, non eſt, & quod remanet, eſt: ergo iam idem eſſet ſimul, & non eſſet, quod eſt omnino impoſſibile ex illo evidentiſſimo axiomate: impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe ſimul.

133 Minor proxima ſic probatur, quia ens exiſtit in creatura ſine differentia increati per vos, & exiſtit in Deo ſine differentia creaturæ: ergo ratio entis ita ſeparatur à ratione increati vt ſit ſine illa, ac proinde maxima omnium ſeparatione ſegregetur à tali differentia: item deſtructa creatura non deſtruitur ens: ergo ita ſeparatur ratio entis à ratione creaturæ, vt exiſtat vnum ſine alio: ergo maxima omnium ſeparatione, ſimiliter ſeparatur ratio entis à ratione creaturæ.

134 Vltimo argumentor contra Scotum, quia ratio Scoti, qua vtitur ad probandam diſtinctionem ex natura rei inter prædicata divina eſt ipſa, qua vſus fuit Gilbertus Porretanus ad probandam ſuam hæreſim: atqui hæreſis Gilberti Porretani erat affirmare diſtinctionem realem inter prædicata divina: ergo ex ratione Scoti ſequitur manifeſte in Deo dari non ſolum diſtinctionem ex natura rei, ſed etiam realiter. Maior patet ex his verbis, quibus Otto Friſingensis Episcopuſ, maxime fide dignuſ, & antiquuſ Author, qui centum, & ampliuſ annos poſt Bernardum claruit imperio vacante anno 1260. proponit rationem Gilberti ad probandam ſuam concluſionem: *videlicet ſi indeterminate profiteretur divinitatem eſſe Deum, (id eſt) quamlibet perſonam, cogeretur ſine determinatione concedere quicquid de qualibet perſonarum, & de eſſentia, ſicque in hanc incidere abſurditatem, aut ſicut perſonam filij, ita divinam eſſentiam indeterminatam incarnatam paſſam conſideretur: ex qua abſurditate facile ſenſu hæreticuſ iuxta Sabellianuſ emergeret, & eadem res diceretur, & generans, & genita, & eandem ſeipſam genuiſſe; quod autem inter naturam, & perſonam non mathematica abſtractione, ſed Theologica conſideratione quoquomodo divideret ratio, & ratione, & autoritate probare nitentur; ſic ille.*

Itaque ratio Gilberti hæc erat, ſi idem ſunt omnino ſuapte natura perſona, & eſſentia: ergo ſi perſona vnitur realiter naturæ humanæ illam ſubſtituens, etiam natura divina eodem modo vnitur, & humanam terminabit, quare ſicut dicimus Verbum paſſum, & mortuum, ipſam etiam deitatem mortuam, & paſſam dicemus: cum ergo hæc non ſint concedenda, ſequitur eſſentiam non eſſe perſonam, & e contra ex natura rei; ecce ipſa ratio Scoti, nam Gilbertuſ colligit eſſentiam non eſſe relationem ex natura rei, ne cogamur dicere de eſſentia quæ de perſona enuntiamuſ, ſcilicet generari, & generare, ac ſi à contrario cum Scoto diceret de eſſentia non dicimus quod reipſa generatur, ſicut de perſona: ergo perſona, & eſſentia non ſunt idem ex natura rei, quia de eodem non poeſt affirmari, & negari idem: vide tuam rationem qua probas ens, & increatum diſtingui ex natura rei in Deo, quia de ente affirmatur à parte rei convenientia cum natura, quæ negatur de differentia increata: ergo ratio Scoti, & ratio Gilberti Porretani eſt eadem numero; ſed

conciliuſ Remenſiſ ſub Eugenio III. indicat ex tali ratione ſequi diſtinctionem minime concedendam in Deo, ac proinde ipſum Conciliuſ damnauit rationem Gilberti, & concluſionem erutam à tali ratione: ergo concluſio, & ratio Scoti eſt omnino repellenda, vt repulſa fuit à Concilio Remenſi.

Dices, Gilbertuſ poſuiſſe diſtinctionem in Deo, non tanquam inter duas formalitates ſolum, ſed tanquam inter duas res.

Sed contra primo, quia vt optime aduertit P. Vaquez, Gilbertuſ nunquam poſuit ita apertam diſtinctionem inter eſſentiam, & perſonam, ſicut eſt diſtinctio quæ inter duas res eſſe poeſt; ſed dixiſſe quoquo modo Theologica conſideratione diſtingui, ita vt non ſolum abſtractione mathematica; ſed conſideratione Theologica ratio noſtra inter illa diſtinctionem operetur, quaſi dicat non ſolum diſtingui noſtro modo intelligendi: nam mathematicuſ ſola conſideratione ſua ſeparat à materia, ea quæ vere in materia ſunt: ſi ergo ſolum ratione mathematica diſtinguuntur, quæ ſolo noſtro intellectu diſtincta concipiuntur: ratione vero Theologica ea dixit diſferre, quæ ſecundum veram Theologiam inter ſe diſtingui aſſerit, intelligit autem ex natura rei, ſed à parte rei, non ſola conſideratione, alioqui non eſſet aliud diſferre ratione mathematica, & conſideratione Theologica: hæc ſunt quæ dicebat Gilbertuſ, vbi nulla mentio ſit de diſtinctione ſimpliciter reali, ſed ſolum de diſtinctione quæ datur à parte rei ſine fictione: atqui veſtra diſtinctio non eſt ficta, ſed vera à parte rei, & ex natura rei: ergo veſtra ſententia eſt ſententia Gilberti, quod patet ampliuſ, ex decreto Concilij Remenſiſ ibi: *credimus, & conſitemur naturam divinam eſſe Deum, neque aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin divinitaſ ſit Deus, & Deus divinitaſ, ſicut vera dicit Dominiſ ſapientia Domini, ſapientia ſapientem, & alia huiuſmodi, ſicut divinitatem Deum eſſe credimus, non niſi ea ſapientia qua eſt ipſe Deus ſapientem eſſe, ſicut non niſi ea divinitate Deum qua eſt ipſe id eſt ſeipſo ſapientem vnum Deum, ſic Conciliuſ: vbi aperte damnat non ſolum diſtinctionem maximam realem, ſed potiuſ, & magis data opera quamcumque diſtinctionem à parte rei, & in quocumque ſenſu catholico, vt patet ex illiſ verbis naturam divinitatiſ eſſe Deum, nec aliquo ſenſu catholico poſſe negari, ac ſi dicat, credimus, & conſitemur tantam identitatem inter divinitatem, & Deum, inter ſapientiam, & ipſuſ Deum, vt in nullo ſenſu vero, & catholico poſſit concedi diſtinctio aliqua inter prædicata abſoluta Dei; ſed vos conceditis diſtinctionem veram, licet non in omni ſenſu, ſcilicet realiter, nihilominuſ tamen in aliquo vero ſine fictione ex natura rei: ergo veſtra diſtinctio damnata eſt in Concilio Remenſi contra Gilbertuſ.*

Dices eam diſtinctionem damnatam eſſe, in qua poſſit negari, aut per quam negetur ſapientiam, & divinitatem eſſe Deum; cum autem adhuc, licet concedatur diſtinctio ex natura rei inter prædicata abſoluta, & Deum ex vi talis diſtinctioniſ, non poſſit negari ſapientiam eſſe Deum, aut prædicatum abſolutum eſſe Deum, ſeu aliud prædicatum, inde eſt quod non ſit damnata talis diſtinctio, ſed ſolum diſtinctio realiter.

Sed contra manifeſte, quia omniſ diſtinctio eſt talis

Quæst. Vlt. vtrum ens distinguatur, &c. 215

ralis conditionis, vt dicat negationem illius, à quo distinguitur in ea ratione, & genere qua datur distinctio, itaque id quod distinguitur, dicit negationem alterius à quo distinguitur, ac proinde ex vi distinctionis negat identitatem cum altero in ea ratione qua distinguitur ab eo; vnde identitas, & distinctio in ea ratione, & genere quo sunt, ita se opponunt, vt se expellant ab eodem subiecto, v. g. ea quæ distinguuntur per rationem, per rationem non sunt idem, neque identificantur, ac proinde per rationem vnum negatur de alio, sicut quæ realiter absolute distinguuntur, realiter, & absolute non identificantur; sed potius vnum negatur de alio; vnde relatio paternitatis in diuinis, quia distinguitur realiter à filiatione, quatenus relatio est, non identificatur cum filiatione, ac proinde negatur quod sit filio realiter, quia ipsa distinctio dicit negationem, quæ prædicatur de ipso quod distinguitur ab alio; vnde quia Deus distinguitur à creatura habet negationem quæ prædicatur de Deo in hac propositione; Deus non est creatura; itaque omnis distinctio in ea ratione, qua est distinctio, affert negationem quæ prædicatur in concreto de distincto respectu illius à quo distinguitur.

138 Tunc sic, vestra distinctio ex natura rei est vera distinctio in illo genere: ergo in illo genere affert negationem identitatis respectu extremi distincti, quæ in concreto prædicatur de ipso distincto respectu illius à quo distinguitur, sed per vos Deus habet distinctionem ex natura rei respectu sapientie diuinæ, & respectu entis: ergo habet ex natura rei negationem respectu sapientie, entis, &c. quæ vere in concreto prædicatur de Deo respectu sapientie, & de sapientia respectu Dei &c. ex natura rei: ergo in vestra sententia ex natura rei est vera hæc propositio, Deus non est sua sapientia, vtique in sensu de quo loquimur, videlicet ex natura rei: ergo necessario debetis asserere in aliquo vero sensu Catholico, licet non in omnium esse verum dicere sapientia diuina non est Deus: patet hæc consequentia, quia per vos ex natura rei, vere habet negationem: ergo in sensu ex natura rei catholice, & vere negat suam sapientiam; sed sensus ex natura rei verus, & Catholicus est, aliqui sensus verus, & Catholicus: ergo in aliquo vero sensu per vos est verum dicere, sapientia diuina non est Deus licet in alio sensu, scilicet realiter sit verum dicere sapientia diuina est Deus: atqui Concilium immediate damnat vestram sententiam, sicut sententiam Gilberti, qui non in omni sensu; sed solum in aliquo, scilicet secundum rationem Theologicam asseruit, sapientiam non esse Deum, cuius oppositum definivit Eugenius Papa, dicens inter perfectionem, & essentiam, rationem veram, & Theologicam non debere distinguere: efficitur ergo vt formaliter ex natura rei non distinguantur; cum enim Eugenius definivit ne ratio distinguatur, intellexit secundum phrasin Gilberti, videlicet secundum rationem, & considerationem non mathematicam, sed Theologicam, quæ est ex natura rei, & ante nostram cognitionem; præcipue, quia si magis probati nisi discipuli Gilberti post Concilij definitionem dicebant, inter relationem seu personam, & essentiam non esse distinctionem in intelligendo; sed in nomi-

nando (vt certum est illos dixisse) efficitur solo nostro modo cognoscendi, qui varijs vtitur nominibus, non autem consideratione Theologica, quæ tendat ad rem ipsam, vt in se est aliquam ibi posse distinctionem inueniri.

Vrgetur, quia eam distinctionem solum damnauit Concilium, quæ directe colligebatur ex ratione illa Gilberti supra posita: sed ratio Gilberti vt supra posuimus est qua vtitur Scotus, & distinctio Scoti sequitur ex eadem ratione Scoti, & Gilberti: ergo ipsa distinctio Scoti est quam damnauit Concilium Remense contra Gilbertum.

139 Confirmatur ex Concilio Florentino sess. 18. post medium, in disp. inter Ioannem & Marcum, vbi Ioannes ex Ecclesia Latina sic ait: *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectus nostræ differre videntur*; cui sententia Marcus pro Ecclesia Græca coram toto Concilio consensit, Andreas etiam præsul Colossensis in eodem Conc. sess. 7. volens conciliare disputationem eorum Ioannis & Marci, sic dixit: *Plurimum refert simpliciter profere diuinam substantiam, vel Patris filijque substantiam: haud quaquam tamen putare debemus vt re differant, quandoquidem sola ratione aut intelligentia differre creduntur*, &c. si ergo essentia Patris, aut essentia Filij sola ratione differt ab essentia absolute sumpta, sequitur sola etiam ratione differre relationem ab essentia simpliciter acceptam; nam aliqui, & essentia Patris quæ relationem addit non sola ratione differret ab essentia simpliciter, & quod caput est in eodem Concilio sess. vltima, in quadam confessione fidei, quæ à Latinis, ad Græcos missa est, sic dicitur: *Porro autem ne identitatem coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere ac ipsam substantiam, re non autem sola ratione ab hypostasibus & personis differre credere videamur*, &c. vbi putat Concilium & tota pars Latinorum, in commodum existimare inter personam, & essentiam distinctionem maiorem esse, quam rationis, & intellectus; atqui vestra distinctio siue inter attributa & essentiam, siue inter prædicata essentialia Dei; non solum est rationis, & intellectus; sed etiam datur à parte rei vere: ergo est contra mentem Concilij Florentini, laudantis, & admittentis tanquam veras propositiones supradictas Ioannis Latini, & Marci Græci, præcipue, quia ex vestra sententia sequitur manifeste distinctionem, quam admittitis, non solum esse ex natura rei; sed etiam realiter, quia omne ens dividitur sufficienter in ens rationis, & reale: ergo omnis pluralitas, quæ sequitur ad ens, eodem modo sufficienter dividetur, pluralitas autem idem est quod distinctio: ergo omnis distinctio aut erit rationis aut realis: sed hæc vestra non est rationis: ergo realis. Deinde si ex natura rei ante intellectum vna ratio formalis non est alia: sequitur esse aliam, & aliam rationem; cum igitur quævis illarum sit aliquid reale sit vt ante intellectum ex natura ipsius rei sit aliquid, & aliquid reale: erunt ergo duæ res, aut duo realiter diversa.

140 Neque quidquam obstat, quod in vna, & eadem re, quæ habet rationem totius reperiatur duplex ratio, vt in homine, anima, & corpus; vna quæque enim ratio differt ab alia realiter: sic ergo licet in eadem re quæ habet rationem totius, reperiatur duplex ratio formalis; si tamen vna non est alia ex natura sua, & ante intellectum erit realiter ab ea distincta.

Porro

¹⁴² Porro autem distinctionem realem non solum eorum, quæ invicem simul separari possunt; sed eorum etiam quorum unum saltem sine altero esse potest, licet non contra præter rationem ipsam confirmat aperte authoritas Arist. 7. Topic. cap. 1. loco 15. his verbis: *amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem*. hoc eodem argumento quod unum sine alio manere possit probat August. lib. 6. de Trinitate, cap. 6. aliud esse magnitudinem, aliud figuram, aliud colorem, & Bernardus ser. 80. in Cantica, animam non esse suam iustitiam, & sanctitatem eadem ratione colligit; probari etiam manifeste potest, quia quoties aliqua duo sola ratione nostra diversa sunt, re autem sunt idem omnino sola cogitatione, possunt separari sicut sola cognitione sunt diversa.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

¹⁴³ Ad primum argumentum, distinguo maiorem, eadem res secundum idem formaliter, & virtualiter concedo secundum idem formaliter, & virtualiter distinctum, nego; cum autem ratio entis in Deo, & in creatura distinguatur virtualiter à differentiis, ut ex supradictis patet, potest esse ratio conveniendi, & differentia in creatura propter hanc distinctionem, ratio differentie aut differendi per quam differat, & distinguatur Deus à creatura.

¹⁴⁴ Neque enim hæc distinctio virtualis aliquid derogat divinæ simplicitati, quia hæc simplicitas solum consistit in summa reali identitate rei cum omnibus rationibus realibus, quæ in illa sunt seu de illa dicuntur, quin potius hæc distinctio indicat excellentiam divinæ simplicitatis, quæ indivise omnem perfectionem completitur, æquivalendo rebus inter se formaliter distinctis. Unde provenit ut sub diversis rationibus, seu conceptibus concipi possit à nobis, qui inadæquate, & imperfecte res divinas concipimus, quod fundatur in eminentia, & infinita perfectione actualissima ipsius rei, quæ unita continet ea quæ in creaturis divisa sunt; sic autem multa continere non est diminutio simplicitatis, sed potius illius excellentia, & consummata perfectio: itaque summa identitas Dei est formalis, cui non opponitur virtualis, aut eminentialis distinctio, quia opposita debent esse in eodem ordine, & ideo formalis lux non pugnat formaliter cum formali frigiditate, quia calor non continetur cōformaliter in luce, sed eminentialiter; eminentialis autem calor non pugnat cum formali frigiditate, quia sunt in diverso ordine: sed distinctio virtualis, aut per æquivalentiam non est formalis distinctio: ergo non pugnat cum identitate formali, sicut, v. g. eminentialis continentia creaturæ, seu esse eminenter creaturæ non pugnat cum esse formali Dei, & ideo in omnium sententia Deus est virtualiter, seu eminenter creatura, & simul est formaliter Deus, & increatum esse sine ulla controversia, in quo tantum abest quod eminentialis aut virtualis ratio creaturæ destruat rationem increati formaliter, quin potius sit summa perfectio divini esse formalis, quod adeo verum est, ut si per impossibile Deus non esset eminenter creatura, non esset Deus formaliter, ac proinde destrueretur esse formale Dei,

quapropter potius pugnat cum esse formali Dei, non esse eminenter creaturam quam pugnet cum illo esse eminentiale seu virtuale esse creatum.

Ergo similiter eminentialis virtualis distinctio seu per æquivalentiam est summa perfectio summe identitatis Dei seu omniidentitatis divinæ, quæ si deficeret in Deo, sine dubio non esset summe, & infinite perfecta identitas Dei, quapropter tantum abest ut hæc eminentialis, virtualis seu per æquivalentiam distinctio opponatur cum omni identitate divina, quin potius conducit ad summam perfectionem illius: ergo distinctio, quæ opponitur tali identitati est formalis, quia est in eodem genere formalitatis, ac est identitas divinæ, unde identitas divina excludit omnem distinctionem, & pluralitatem divinam inter absolutas, ratione cuius dixit eleganter Bernardus, *disso lib. 5. cap. 7. nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum, mihi vero non deest, quid cogitem melius eiusmodi Deo tuo: quares quid mera simplicitas.*

Ad confirmationem primam respondeo cum ¹⁴⁶ Patre Suarez, rationem substantiæ, & entis in substantia esse quidem eandem omnino secundum rem, differre tamen virtualiter in re, & per rationem formaliter, & priori consideratione habere in substantia eandem rationem essentialem, virtualiter tamen, & ratione diversam; & idem de ratione entis, & accidentis propterea in accidenti reperiuntur; e contra vero accidens, & substantia inter se comparata dicuntur habere in ratione entis essentialem rationem eandem, secundum rationem tantum, non secundum rem, & ideo in omnibus illationibus in ea confirmatione factis, committitur æquivocatio non distinguendo diversas rationes, & modos convenientie distinctionis fundatos in distinctione æquivalentiæ, & virtuali.

Ad secundam confirmationem distinguo maiorem, sunt in re distincta actualiter, & formaliter, nego, virtualiter concedo: ad probationem distinguo, maiorem, formaliter, & in esse entis nego; in esse terminativo, & obiectivo concedo; alias ex eo quod definitio formaliter sit accidens sequetur quod res definita debeat esse accidens, quapropter definitio solum confirmatur in hoc cum definito, ut explicet quod habet definitum sine fictione, non autem debet conformari formaliter in gradu essendi, ita ut substantia definita habeat definitionem, quæ sit substantia, cum hoc sit impossibile, & ut vni entitati reali vnica definitio solum respondeat, quia hoc falsum est, siquidem vna, & eadem entitas secundum varias formalitates potest varijs definitionibus definir, quia cum nos definiamus secundum quod concipimus, & concipiamus per conceptum inadæquatam, non possumus eadem definitionem ex haurire eandem simplicissimam entitatem varijs definitionibus.

Ad secundum Responderetur concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem distinguo antecedens, ratio entis quæ erat in creatura est sine creatura, nego, alia realiter distincta ratio entis, quæ semper in Deo fuit, concedo; unde ratio entis quæ est in Deo non separatur aliunde ratio entis quæ est in Deo, & ratio entis quæ est in creatura nunquam separatur à modo creato, unde tota fallacia argumenti in hoc consistit, quod intellectus fingat esse eandem rationem entis,

Vtrum Transcendat vltimas differentias. 217

entis, quæ est in Deo, & creatura, & cum illam rationem entis videat in creatura, iudicat quasi separari, cum nunquam realiter ratio entis, quæ est in creatura, separatur ab illa; nec è conuerso quæ est in Deo; unde cum falsa suppositione fundetur argumētum, falsum est illud, & ita falsum, vt etiam ipsi Scotistæ debeant solvere illud; nam ipsi dicunt rationem entis, quæ est in Deo, licet formaliter distinguatur a modo increato, non tamen distingui realiter, imo identificari realiter: ergo euidenter sequitur non posse separari realiter, imo propter hanc rationem dicunt Scotistæ, ens modum non componere realiter in Deo; quia non possunt separari: ergo in omnium sententia solvendum est.

149 Ad tertium distinguo maiorem, non sunt virtualiter realiter idem, concedo, formaliter nego: ad probationem idem dicitur, ad vltimum illius partis distinguo maiorem, idem respectu eiusdem formaliter & virtualiter, concedo, formaliter idem, & virtualiter distinctum, nego.

150 Ad primum vltimæ partis respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationem distinguo, habet rationem conueniendi, si illa ratio confuse cognoscatur, concedo, clarius nego.

151 Ad vltimum nego sicutitatem quod entitatem, & distinctionem, & præterea nego suppositum, quod ens, & modus component, non enim component, sed constituunt.



DVBIVM INCIDENTS.

Vtrum ens transcendat vltimas differentias rerum.

SECTIO I.

Sententia aduersaria proponitur.

PRIMA sententia asserit ens non includi in differentiis vltimis; ita Scotus in 1. distinct. 3. q. 3. & dist. 8. q. 2. & in 2. dist. 1. q. 6. probatur, nam vna differentia non est alia, vt per se notum est; ergo vel conuenit cum alijs in conceptu quidditativo entis, vel non; si non conuenit: ergo non includit talem conceptum, in sua quidditate, & essentia, quod intendimus: si autem conuenit cum alijs in illo conceptu, necesse est quod per aliquid aliud differat: ergo vna differentia differt ab alijs per aliam differentiam: ergo illa definitio non erit vltima, quædoquidem in aliam vltiorem resoluitur, & tunc vltius eodem modo inquirendum erit, de illa alia differentia, an includat conceptum quidditativum entis, in quo cum alijs conueniat, atque ita, vel procedemus in infinitum, vel sistendum erit in vltima differentia, quæ ita per se differat ab omnibus alijs rebus vel conceptibus, vt neque in conceptu entis conueniat, & consequenter intrinsece, & quidditative rationem entis non includat: nam si includeret, conueniret in ea cum alijs, si autem conueniret, indiget alia differentia, qua differret iuxta doctrinam Arist. 5. met. cap. 9. & lib. 10. cap. 5. quod ea quæ inter se conueniunt differentiis differunt: R. P. J. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

atque hæc ratio eodem modo applicari potest ad modos intrinsecos, quibus ens contrahitur ad prima decem generas, nam cum vnumquodque illorum generum concipiatur per modum entis completi, certum est quidditative includere rationem entis; in qua omnia illa genera conueniunt: ergo oportet vt aliquibus modis, seu differentiis differant; de illis ergo modis vltius queritur, an includant ens? nam si non includunt, hoc intendimus; si vero includunt, querendum est, per quid differant ab alijs, & quo modo ad illos modos contrahatur ens; & ita, vel procedetur in infinitum vel sistendum erit in aliqua differentia; seu modo qui non includat ens: ergo cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, sistendum erit in primo illo modo; quo contrahitur ens ad substantiam, quantitatem, &c.

Confirmatur hoc ex proportionem inter Metaphysicam, & Physicam compositionem, vtraque enim fit ex potentia, & actu, seu (vt Scotus loquitur) ex determinabili, & determinante: sed in compositione physica resolutio vltima fit ad vltimam potentiam determinabilem, quæ in sua entitate nihil includat formæ, seu actus determinantis, & ad vltimam formam seu actum determinantem, quæ nihil includat potentie determinabilis: ergo similiter in compositione metaphysica omnium entium, resolutio facienda est in vltimos conceptus determinabilem, & determinantem, quorum vnus alium non includat, nec è conuerso: sed omnis hæc resolutio ex parte conceptuum determinabilium fit vltimate in conceptum entis, in quo vt sic actu non includitur aliquis modus, seu differentia determinans: ergo etiam ex parte conceptus determinantis debet correspondere aliquis modus, vel differentia, quæ nullo modo includat conceptum entis determinabilem. Denique de passionibus inter plures rationes multiplicat Scotus quas nunc omitto, quia de ijs passionibus dicendum est ex professo disputat sequens.

SECTIO II.

Nostri sententia probatur.

Conclusio: ens transcendit vltimas differentias rerum; hæc est communis sententia Thomistarum, & Doctorum Societatis Iesu, patet manifeste.

Primo omnibus argumentis, quibus questione superiori probavimus perfectam esse ex natura rei ens, quæ argumenta non solum probant esse ens à parte rei, sed etiam formalissime sub quacumque præcisione conceptam, nam perfectitas, & rationale sub quacumque consideratione concipiuntur, sunt intelligibilia vera, & bona: ergo sunt entia, quia cui conuenit attributum conuenit essentia. Secundo, quia rationale quatenus rationale, & sub quacumque præcisione concipiatur, est non repugnans existere, & non repugnans produci à Deo: ergo est ens reale; item est positivum quid, quatenus rationale, vt patet ex supradictis, quæ facile possunt accommodari ad rationale adhuc formaliter conceptum: sed quidquid est positivum ea ratione qua positivum est, est ens: ergo rationale sunt entia formalissime: ergo ens imbibitur in vltimis differentiis rerum & transcendit ipsas.

E e Secundo